
DE FRAUDIBUS HÆRETICORUM AD ORTHODOXOS TRACTATIO

Perutilis hoc tempore.


PARS II.

PER
FRANCISCUM SIMONIS
S. TH. L.



MOGUNTIÆ,
Typis LUDOVICI BOURGEAT, Academiæ
Typographi.

M. DC. LXXVII.



ORDO MATERIÆ.

PARS SECUNDA

DE FRAUDIBUS HÆRETICORUM

IN PROTEGENDIS ERRORIBUS NE CONDEMNENTUR AB ECCLESIA.

cum-

FRAUS X.

FRAUS XI.

FRAUS XII.

FRAUS

FRAUS XIII.



APPRO-

APPROBATIO.

PArtem Secundam *Tractationis de Fraudibus Hæreticorum hoc tempore perutilis*, per FRANCISCUM SIMONIS *S. Th. Licentiatum*, comperi Primæ Parti persimilem methodo, stylo, eruditione, accuratione, Catholicæ Fidei zelo, censeoque nemini posse justè displicere, qui Hæreticos oderit. Quare Summâ approbatione meâ licet illi in publicum prodire. Dabam Moguntiæ 26. Maii 1677.

ADOLPHUS GODEFRIDUS VOLUSIUS *Episcopus Diocletianopolitanus Eminentissimi Electoris Moguntini Suffraganeus.*



PARS SECUNDA.

DE FRAUDIBUS HÆRETICORUM IN PROTEGENDIS ERRORIBUS NE CONDEMNENTUR AB ECCLESIA.

FRAUS I.

Se, suosque solos magni æstimare, ipsique Ecclesiæ ostentare formidabiles: cæteros contemnere omnes.



ÆCos facit homines superbia. Non tamen nullo consilio superbi sunt Hæretici. Hoc agunt, ut supercilio suo Ecclesiam ipsam terreant, ne quid ausit contra hæresim.

Superbiam ipſam, & faſtum hæreticum variè deteſtati ſunt Patres.

a *Lib. 2. de bapt. cōtra Donatiſt. cap. 5.*

Auguſtinus quidem [a] "Diabolicam vocat „ præſumptionem, nimis amando ſententiam „ ſuam, vel invidendo melioribus, uſque ad „ præcidendæ communionis, & condendi „ ſchiſmatis, vel hæreſis ſacrilegium perveni- re." Gregorius verò [b]: "Habent hoc, ait, „ Hæretici proprium; ut de inani ſcientiæ ſuæ „ arrogantiâ inflentur, & rectè credentium „ ſimplicitatem ſæpè derideant, & nullius eſſe „ meriti vitam humilium ducant. At contrà „ S. Eccleſia in omne, quod veraciter ſapit, „ ſenſum ſuum humiliter deprimit; nè ſcientiâ „ infletur; nè in requiſitione occultorum tu- „ meat, &c."

b *In cap. 19. Iob. c. 12.*

Rurſus [c]: "Hi qui in S. Eccleſiâ veraciter „ ſunt humiles, & veraciter docti, norunt de „ ſecretis cœleſtibus & quędam conſiderata in- „ telligere, & quædam non intellecta venerari. „ ..... Perverſæ Hæreticorum mentes, dum ſibi „ ſuperbè intellectum tribuunt, quaſi certas da- „ re ſententias etiam de incognitis præſumunt: „ unde fit, ut ipſa eos elatio, quæ intus apud ſe- „ metipſos elevat, à veritate foras repellat."

c *In cap. 30. Iob. c. 10.*

Gregorio præiverat Irenæus [d]: *Nos quidem*, inquit, *arguunt, quaſi idiotas, & nihil ſcientes; ſemetipſos extollunt:* uſque adeò, ut & ſupra Prophetas, & Apoſtolos, ipſumque Chriſtum de inventione ſuâ gloriari eos

d *Lib. 1. cōtra hæreſes c. 1.*

dicat. Atque hæc ille in Valentinianos.

Fastum eundem in Arianis detestatur Alexandriæ Patriarcha Alexander [a]. " Nullos, inquit, secum ex antiquis comparari sinunt, " nec eos, quibus ab ineunte nos ætate ma- " gistris usi sumus, pares dici patiuntur. Quin- " imò nec ullum collegarum nostrorum, qui " ubique gentium sunt, ad mediocrem scien- " tiam pervenisse censent. Solos se sapientes " jactant.......... sibi solis ea esse patefacta, quæ " in nullius unquàm sub sole cogitationem ve- " nire potuerint. O impiam arrogantiam, ve- " saniam immensam, inanem gloriam cum fu- " rore conjunctam, spiritum Satanicum, qui " in eorum mentibus callum obduxit! "

[a] Ep. Encycl. apud Theodoret. hist. Eccles. l. 1. cap. 3.

Idololatras Hæreticos & Irenæus [b], & Hieronymus prædicavere: atque hic quidem [c], *Fabricatores*, inquit, *sunt Idolorum, & adorant, quæ de suo corde finxerunt.* Quod idem alibi explicuit luculentè [d]. "*Maledictus omnis, qui fecerit sculptile, & conflatile, &c.* Sculpti- " le, atque conflatile reor dogmata esse per- " versa, quæ ab his, à quibus ficta sunt, ado- " rantur. Vide Arium sculpsisse sibi idolum " creaturæ, & adorasse, quod sculpsit. Cerne " Eunomium conflasse imaginem falsam, & " conflationi suæ curvare cervicem: signanter- " que scriptura, & ponet, inquit, illud in abs- " condito: habent enim & ipsi Orgia sua, & " quasi pro perfectis quibusq; discipulis tradunt "

[b] Ibid. c. 19.

[c] In Isaiæ cap. 21.

[d] In Habacuc. c. 2.

„ abſcondita Sacramenta, quæ ſi ad lucem pro-
„ ceſſerint, ſtatim, quod ficta ſunt, arguuntur.“

Opinamenta ſua pro idolis adorantes, quem non contemnant? "Omnes tument,
„ inquit Tertullianus [a]: Ante ſunt perfecti Ca-
„ techumeni quàm educati .... Ipſæ mu-
„ lieres Hæreticæ quàm procaces? Quæ au-
„ deant docere, contendere, &c.“

a Lib. de Præſcript. adverſus hæreſ. c. 16

Quod Tertullianus ait, ante eſſe perfectos Catechumenos, quàm educatos, rem monet animadverti haud illepidam, ut illi heri modò diſcipuli, ac ne diſcipuli quidem, prodire ſoleant hodie magiſtri inter mortales doctiſſimi opinione ſuâ, & ſuorum Symmyſtarum. Si quis iis diſſenſerit, magis etiam, ſi quis repugnaverit, hic homo ſtipes eſt, & caudex: ſi quis aſſenſerit, ſeque dediderit, hic verò nemini ſecundus ingenio, doctrinâ, eruditione. Rem hanc omnem pulchrè explicuit Irenæus Valentinianorum mores deſcribens [b]: "Si aliquis, in-
„ quit, ex his, qui audiunt eos, quærat ſolu-
„ tiones, vel contradicat eis, hunc quaſi non
„ capientem veritatem, & non habentem de
„ ſuperioribus à Matre ſuâ ſemen affirmantes,
„ in totum nihil dicunt ei, mediarum par-
„ tium dicentes eſſe illum, hoc eſt, Pſychico-
„ rum. Si autem aliquis, quaſi parvum ovum
„ deditum, ſemetipſum ipſis præbeat imitationi
„ illorum, & redemptionem illorum conſecutus
eſt,

b Lib. 3. cōtra hæreſ. Cap. 15.

est, inflatus est iste talis, neque in cœlo, neque in terrâ putat se esse; sed intra pleroma introisse, & complexum jam Angelum suum, cum institorio, & supercilio incedit, Gallinacei elationem habens. Sunt autem apud eos, qui dicunt, oportere bonam conversationem assequi eum hominem, qui sit desuper veniens, propter hoc & fingunt quodam supercilio gravitatem". Hactenus Irenæus.

De Arianis haud absimilia comme minit Athanasius [a]: "Quisquis ipsis carus est, inquit, & ejusdem impietatis socius, etiamsi aliis delictis, & infinitis sceleribus obnoxius sit, probus tamen apud eos, & in pretio habetur: quin imò statim Imperatoris amicus efficitur; commendabilis scilicet suâ impietate........ Quod si quis apud eos Episcopus esse velit, non illi occinitur; *Oportet Episcopum esse irreprehensibilem:* sed hoc illi dicitur; sentias contra Christum, nec de moribus tuis sis anxius: id enim tibi sufficit ad commendationem......... Contrà veritatis æmulatores, tametsi sancti, tametsi puri appareant, rei fiunt, cùm illis libuerit, cùm eam, quam nolunt, causam finxerint."

[a] *Epist. ad solitar.*

De Leontio Episcopo Antiocheno paria observavit Theodoretus [b], "Quotquot enim, inquit, Apostolica dogmata sequebantur, his nec studium ullum, nec ordinationem impertiebat: Arianæ autem vesaniæ participes

[b] *Hist. lib. 2 cap. 18.*

" & maximâ in auctoritate apud illum erant, & " sacris honoribus augebantur". Leontio igitur Ariano Episcopo sacras ordinationes adhibenti iis solis, qui Arianæ vesaniæ essent participes, rectè convenit illud Apocalypseos, quod Angelicus Doctor iis applicabat [a], "qui ab honorum Scholasticorum gradibus arcebant Religiosos viros; [b] *Et faciet, ne quis possit emere, aut vendere, nisi qui habet characterem, aut nomen bestiæ.*

[a] Opusc. 19.

[b] Apoc. cap. 13.

Sed verò etiam de Mulcibre Doctor existet, quo non præstantior alter, si Hæreticis collibuerit. Exemplum suppeditat Suidas periodum Aëtii describens. Antiochiæ natus Aëtius loco obscurissimo, atque orbus patre admodum puer, in aurificinam se contulit, inopiâ cogente: pòst verò artis suæ pertæsus Paulino discipulum se dedit: quo mortuo adolescens etiamnum, atque, ut testatur Socrates [c], Divinæ Scripturæ rudis admodùm, & ignarus, atque Elenchis Aristotelicis modo excultus, Doctor eminuit inter Arianos confidentissimus; cujus deindè præcipuum fuit decus incondita, atque abjectissima loquacitas, teste Epiphanio [d]. En tibi de aurifice, vel si mavis, de Philosopho, Theologię Doctorem minimè vulgarem, qui exinde suorum adjutus plausu eò subvolavit, ut Arium ipsum fastidire cœperit, novæ sectæ Architectus, cui nomen factũ Aëtianorum

[c] Lib. 2. cap. 28.

[d] Hæres 76 ad præfat. Aetian. num. 2.

Hic

Hîc, nisi fallor, locum sibi vindicat Tertulliani Apophtegma [a]: NUSQUAM FACILIUS PROFICITUR, QUAM IN CASTRIS REBELLIUM, *ubi ipsum esse illic, promereri est.* Hoc ipsum haud invenustè Leontius explicuit [b]: *Se ipsos*, inquit, *sapientes esse jubent, & sunt tanquam ex jussione, & edicto sapientiâ præditi, quos eruditos esse fecit velle tantùm.*

Scribæ operam Aëtio præstiterat Eunomius: satis hoc erat disciplinæ, ut à perfidâ factione Doctor salutaretur. Ipse verò Magistro suo par imperitiâ Sacrarum litterarũ [c], adjecit tamen animum ad scribendũ in Epistolas Pauli ad Romanos; scripsit verò tam infeliciter, ut pręter Hęreticos nemo legeret; nisi qui nauseare vellet. Uno valuit artificio, teste Socrate [d], *Verba variare, eademq́ semper aliter, atque aliter dicere potuit.* Scriptori plaudebant discipuli [e], atque hominem perustum gloriâ sic incendebant, ut in illam Pauli epistolam unam Tomos scripsit omninò septem, quos Socrates appellat *ineptè compositos*, addens alios ejus extare libros, in quibus sit invenire *magnam verborum copiam, miram sententiarum inopiam.* Atque hic vir, hic est, [f] qui Magno Basilio est ausus congrédi, scriptisque libris adversari. *Nusquam facilius proficitur, quàm in castris rebellium.*

Tam Aëtio, quàm Eunomio, atque universè

a *Lib. de præscrip. adversus hæreses cap. 16.*

b *Lib. 1. cõtra Nestor. & Eutych. in princip.*

c *Socrates lib. 4. cap. 7.*

d *Ibidem.*

e *Niceph. lib 12. cap. 29*

f *Ibidem.*

versè Aëtianis familiarem vocem dementissimæ arrogantiæ plenam prodidit Epiphanius [a]: *Deum novi atque tantum novi, ut ne me ipsum quidem melius noverim.* Plus etiam de Eunomio, atque Eunomianis Theodoretus [b], "Ausus est dicere, inquit, se nihil „ ex rebus divinis ignorare; sed ipsam etiam „ Dei essentiam exactè se nosse, eandemque „ de Deo notitiam habere, quam Deus ipse ha„ beat de se ipso. Ad hunc ab illo furorē perdu„ cti, qui ejus pestem hauserunt; audent apertè „ profiteri, se ita Deum nosse, ut ipse seipsum."

Fastu tam execrando elati quid censerent de simplici fide Orthodoxorum? Hanc verò Aëtiani similem faciebant *Virgini vitiatæ, cæcæ, surdæ, & mutæ*, ut Epiphanius narrat [c].

Quod dixi Basilio accidisse, ut ab imperito Sacrarum litterarum Eunomio lacessitus fuerit, ludus haud absimilis, Possidio teste [d], Augustinum exercuit. Pascentius Imperatorii Fisci in Africâ exactor vehemens, sed præsidens idem disputator; quia Arianus, *Sacerdotes Dei simpliciori fide vivētes dicacitate, ac potestate exagitabat, & perturbabat.* Parum hoc erat: Augustinum primi nominis Episcopum ad certamen vocavit. En exactorem Imperatorium in scrutandis arcanis Divinitatis parem Augustino factum, simul ac Arianus factus est.

[a] *Hæres. 76. num. 4.*

[b] *Lib. 4. hæret. fab. cap. 3.*

[c] *Hæres. 76 sub finem.*

[d] *In vita Augustini. c. 17*

Ne

Ne tota victi Augustini gloria ad Pascentium pertineret, paria est ausus Maximinus Gothorum Episcopus Arianus, nihilo acutior Pascentio; sed mortalium loquacissimus [a]: Loquacitatem hæresis coronabat: satis hoc erat, ut Augustinum provocare auderet.

Petiliani Cirthensis Episcopi Donastitæ, vel argumentis, vel maledictis responderat Augustinus. Responsio ad manus venit Cresconio Grammatico: Qui *cum sibi esset conscius alicujus facultatis*, ut Augustinus ait [b] (erat enim Grammaticus) *ad officium suum pertinere arbitratus est*, opem ferre Petiliano Episcopo; & quidem contra Augustinum. Hos animos Grammatica? Minimè verò; hæresis fecit, ut sibi videretur par Augustino. Quid autem ille puer congressus Achilli vel ausus est, vel potuit? Primum quidem suspectam fecit Augustini eloquentiam; in quo ipso quàm pulchrè ludit, docetque hominem Augustinus [c]. In summâ, "Audi ergo, inquit [d], Cresconi, dum "breviter & hoc demonstro, nihil te dixisse "per totam epistolam tuam, quo refelleres "meam; nisi forte quod me nomina derivare, "vel declinare docuisti; ut à Donato Donatianos potius, quàm Donatistas dicere." Exili Grammatico impingit dictum celebre Demosthenis negantis in eo positas esse fortunas

a *Baron. ann. 422. n. 8.*

b *Lib. 1. cõtra Crescon. c. 1.*

c *Ibidem.*

d *Lib. 2. contra Cresc. cap. 1.*

ſortunas Græciæ. Sed erat tamen Creſconius profectò Hæreticus Donatiſta : atque hoc nomine cui non par reputaretur, & à ſe, & à ſuis?

Major etiam fuit animus Abaiiardo, ejusq; armigero Arnaldo in S. Bernardum. Explicuit Bernardus ipſe ad Innocentium ſcribens [a] : Procedit, inquit, Golias procero
„ corpore, nobili illo ſuo bellico apparatu
„ circummunitus, antecedente quoque ejus
„ armigero Arnaldo..... & cum omnes fugiant
„ à facie ejus, me omnium minimum expetit ad
„ ſingulare certamen. .... Dicebam, ſufficere
„ ſcripta ejus ad accuſandum eum, nec mea re-
„ ferre, ſed Epiſcoporum quorum eſſet mini-
„ ſterii de dogmatibus judicare. Ille nihilomi-
„ nùs, imò eò amplius levavit vocem, vocavit
„ multos, congregavit complices. Quæ de me
„ ad diſcipulos ſuos ſcripſerit, dicere non cu-
„ ro: diſſeminavit ubique, ſe mihi die ſtatuto
„ apud Senonas reſponſurum“.

Quid dignum tanto apparatu Hæretici Doctoris expectamus? Ediſſerit Gaufridus [b] : ” Affuit dies, & Eccleſia copioſa cõvenit.
„ .... At ille nec volens reſipiſcere, nec valens
„ reſiſtere ſapientiæ, & ſpiritui, qui loqueba-
„ tur .... confeſſus eſt poſteà ſuis, quod eâ
„ horâ, maximâ quidem ex parte memoria
„ ejus turbata fuerit, ratio caligaverit, & in-
„ terior fugerit ſenſus“. En Goliathum cum ſuo

a Epiſt. 189.

b In vita S. Bern. lib. 3. cap. 5.

ſuo armigero exprobrare auſum agminibus, Sanctorum. *Sed nuſquam proficitur facilius, quàm in caſtris rebellium.*

De hoc ipſo Wicleffum irriſit Waldenſis, quod diceret, idiotam Sacerdotem Dei gratiâ, & inſpiratione plus proficere, quàm Scholaſtico labore. "Wicleffus, inquit, Do- "
ctores repentè facit ſuæ legis: ſi aut ſemel "
hæreſi ſuâ balneati, fonte labia proluant ca- "
ballino; aut ſi in ſuo bicipiti ſomniaſſe Par- "
naſſo ſe meminerint, ut ſic repente Poëtæ "
prodirent .... ipſi ſemipagani. "

Hæreticæ arrogantiæ, faſtuſque intolerandi exempla ſi quis plura deſideret, hiſtoriam adeat, quam libuerit, quæ de Hæreticis conſcripta ſit: paginis ſingulis alia, atque alia ſeſe offerent. De Luthero quidẽ, & Calvino, quo utroque nihil terra tulit jactantius, aut faſtuoſius, tam multa ſunt hujus generis, ut liber ei ſit ſcribẽdus, qui colligere omnia velit.

Nos verò ſimplicem Eccleſiæ ſpiritum ſecuti, Magno Gregorio monente [a]. "Noveri- [a] *In cap. 30. Iob. c. 10.*
"mus de ſecretis cœleſtibus, & quædam con-
"ſiderata intelligere, & quædam non intelle-
"cta venerari". Tum verò nos viles, & idiotas (ſic ſe Epiphanius appellat [b] Aëtium confutaturus) ne terreant illi ſupercilioſi, mentiſque ſuæ idololatræ. Non terretur Hæreticorum faſtu humilis Chriſti Eccleſia; ſed dignitatem ſuam retinens, avitæ fidei vindicem [b] *Hæreſ. 76. ad Præfat. Aëtian. n. 2.*

gla-

gladium ſtringet, cum erit oportunum. Tum verò præeunte Epiphanio [a] illis occinet diras Iſaiæ prædictiones [b]: *Dicebas in corde tuo, in cœlum conſcendam; ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum: ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis ..... Verumtamen ad infernum detraheris in profundum laci: qui te viderint, ad te inclinabuntur, teq́; proſpicient. Numquid iſte eſt vir, qui conturbavit terram; qui concuſſit regna?* Hic manet exitus Luciferi Dæmonis progeniem Hæreticam.

a Ibidem.
b cap. 14.

FRAUS II.

Suos præcipuè extollere Patriarchas, ut homines Divinos.

SUum quæque Goliathum habet Hæreticorum ſecta, quem opponat agminibus Iſrael, atque univerſæ Eccleſiæ formidabilem conſtituat. Sectarum Ductores illi ſunt ſcilicet, [c] *quibus ſolis data eſt terra, & non tranſivit alienus per eos.* In quem locum Gregorius [d], "Solis, inquit, ſuis Patribus datam terram „ exiſtimant, quia ſolos errorum ſuorum „ magiſtros rexiſſe veraciter Eccleſiam putant. „ Quis verò alienus, niſi Apoſtata Angelus, „ vocatur..... Hæretici igitur, quia Doctorum ſuorum

c Iob. cap. 15.
d Cap. 18.

suorum corda Apostatæ Angelo existimant non fuisse subjecta, transisse per eos alienum denegant."

Recti, verique regulam, quę flecti nequeat, constitutā à Christo in Apostolicā Ecclesiæ Petrâ, promptum habent Hæretici transferre, quo libuerit. Maleferiatus errorum Magister, si quæ Scripturæ Sacræ, si quæ veterum Patrum testimonia compilarit, malèque consuerit, illicò hic ille vir est maximus, planèque divinus, cujus mentem scientia Scripturarum, avitæque traditionis Theologia altè implevit: non facilius hunc errare, quàm Ecclesiam & Evangelia.

Exprobrat hæc ipsa Vigilantio S. Hieronymus [a], Ecclesiæ Catholicæ defendens simplicem pietatem in cultu Sanctorum. "Rides, ait, de Reliquiis Martyrum, & cum auctore hujus hæreseos Eunomio, Ecclesiis Christi calumniam struis.......... Omnes enim Sectatores ejus Basilicas Apostolorum, & Martyrum non ingrediuntur: ut scilicet mortuum adorent Eunomium, cujus libros majoris auctoritatis arbitrantur quàm Evangelia: & in ipso credunt esse lumen veritatis: sicut aliæ Hæreses Paracletum in Montanum venisse contendunt, & Manichæum ipsum dicunt esse Paracletum."

[a] *Contra Vigilantium.*

Ridiculum verò Eunomii & discipulum [b], & laudatorem accepimus Philostorgium. Fuit

[b] *Baron. an. 360. n. 41.*

[a] lib. 1. c. 25. Fuit Eunomius Ruffino teste [a], corpore, & animâ leprosus, & interius, exteriusque morbo regio corruptus: fuit & Sacrarum litterarum omninò imperitus, stylo ineptus [b], linguâ balbus. Hoc omne vitium Magistri facilè abstersit Philostorgius, de quo Nicephorus [c] his verbis: "Eunomium, ut divinum hominem, admiratur Ecclesiasticus „ Scriptor Philostorgius. Prudentiam enim, „ & virtutem ejus incomparabilem fuisse apertè nugatur. Oris formam, & corporis partes „ decentissimas cum multâ venustate deprædicat, atque ex ore ejus orationem fluentem „ margaritis comparat. Quamvis in laude ejus „ progressus balbum fuisse confitetur; quod „ vitium tamen in eo sic exornat, ut ei suavem „ eloquētiam tribuat. Quin etiam vitiliginem, „ quæ faciem ejus, quasi notis quibusdam, de„ formaverat, ornamentum quoddam ori il„ lius attulisse confirmat. Omnes autem libros „ ejus divinis laudibus efferens, præ cœteris „ excellere ejus epistolas dixit."

[b] Socrat. lib. 4. cap. 7.

[c] Lib. 12. c. 29.

Etiam intemperantius Donatum suum amarunt Donatistæ, de quibus sic Augustinus narrat [d]: "Donatum Donatistæ pro „ Christo habent. Si audiant aliquem detra„ hentem Christo, forsitan patientius fe„ rant, quàm si audiant detrahentem Do„ nato."

[d] Fragmen. cap. 6.

Monent me Donatistæ, ut adnotem, non

semper

ſemper ſibi conſtare Hæreticos in perſonâ ipsâ, quàm pro Patriarchâ colant. Principem ſchiſmatis Donatum à caſis nigris habuerant: ſubindè nacti Carthaginenſem Epiſcopum nominis ejuſdem Donatum, eloquentiâ inſignem, hunc celebrarunt, hunc pro magno habuerunt, ab hoc Donatiſtas ſe dici jactarunt [a]; levitatem riſui expoſuit Auguſtinus [b].

[a] *Aug. lib. de hæreſ. c. 69. & lib. poſt collat. c. 13.*
[b] *Eodẽ c. 13.*

Porrò tam ſtultè amantes Doctorem ſuum Hæretici, quid mirum, ſi æternis monumentis conſecrare ſtudeant memoriam tam ſibi caram? Parùm eſt, ſcriptis libris eam mandari; ſaxis ipſis ad tumulum perennaturis inſculptam extare volunt.

Diem ſuum obierat Julianus ex Epiſcopo Ludimagiſter in Ciliciæ ignobili vico. Tumulum defuncto erexerunt Pelagiani hâc inſcriptione [c]; *Hîc in pace quieſcit Iulianus Epiſcopus Catholicus.* Mendax Epitaphium ſervavit tumulus ad ſœculum uſque nonum: quo tempore Orthodoxi Epiſcopi non ſunt paſſi, impios manes poſſeſſione frui pacificâ nomenclaturæ tam illuſtris.

[c] *Præfat. ad opus perfect. S. Auguſt.*

Riſu dignior illa veneratio, quàm Legione in Hiſpaniâ Hæretici (credibile eſt Albigenſes fuiſſe) fictis miraculis dementato populo, detulerunt impuris oſſibus Arnaldi Hæretici: "Inimici veritatis, ut refert Bzovius [d], aſſerebant, plus eſſe ſanctitatis, & miraculi in luto,

[d] *An. 1199. num. 35.*

&

„ & in ossibus illis, quàm in omnibus Christi „ Ecclesiis, & in omnibus Sanctorum Corpo- „ ribus, quos Ecclesia Catholica veneratur.“ Sic illis promptum est evehere quem libuerit, etiam post fata, & pro Patriarchâ colere nil hujus meritum. Hispano hoc Arnaldo felicior Arnaldus alter Arnaldistarum in Galliâ, atque Italiâ Patriarcha, quem magni Principes *tanquam Prophetam in terra sua habebant*, ut Baronius refert [a].

Odiosus fiam, si, quæ sunt infinita, persequar: gustum hunc præbuisse sit satis; cum lippis, & tonsoribus ex novâ historiâ sit notum, quam Divini homines Lutheranis, & Calvinianis fuerint, sintque hodie Lutherus, atque Calvinus. Lutherum quidem & Prophetam, & Apostolum, & Evangelistam quanto strepitu prædicarunt sui! Penè jurat Philippus Melanchton [b], doctrinam Lutheri designatam voluisse Christum, cùm dixit; *Si quis diligit me sermonem meum servabit.* Haud dissimilem nactus est Calvinus Encomiasten Theodorum Bezam [c], eò progressum, ut significaret haud obscurè, Deum ipsum esse Calvino valdè obligatum, tanquam gloriæ suæ vindici, & Christianæ Religionis unico assertori.

Sed inprimis perniciosum Ecclesiæ fuit, tenerioribus per ætatem auribus insonuisse hujus Magistri laudes. "Nullus erat juvenis, inquit

a *Ex Vatic. Cod. de actis Adr. IV. an. 1155. n. 4.*

b *Præfat. ad Tom. 2. Lutheri edit. Wittemberg 1551.*

c *Præfat. in Cõmentar. Calvini in Iosue.*

inquit Florim. Ræmundus [a], qui quidem emancipatus, ac sui juris esset, qui non hujus, tanquam alterius, & novi Sancti Pauli Apostoli videndi desiderio afficeretur". Et quoniam pictores imprimis, sculptoresque, & hoc genus curiosorum hominum Genevam evocavit fama viri; ut observat scriptor ille [b], quàm avidè credimus, studiosos novæ doctrinæ tyrones, quibus haud erat integrum Genevæ ætatem degere, comparasse sibi, atque in Patriam asportasse Magistri effigiem, musæi sui animam futuram!

Accidit hoc idem Germaniæ luctuosum in Luthero, ad quem, ut Florimundus idem narrat [c], "Scholastica juventus certatim accurrebat, & versibus, aliisque encomiis, tanquam alterum Herculem, ad cœlum usque efferebat."

Haud immeritò Hieronymo Pragensi in Constantiensi Concilio crimini data fuit vox perniciosa ad Academicos jactata [d]; "Juvenes qui Joannis Wicleffi commentarios non revolverent, scientiarum cortices delibare quidem; ad veram autem scientiarum radicem, ac vera fundamenta non pervenire."

Nos verò ad hujusmodi voces surdi Vincentio Lirinensi auscultemus momenti [e], "*Ut noverimus, nos cum Ecclesiâ Doctores recipere, non cum Doctoribus Ecclesiæ fidem deserere debere*". Si constet Ecclesiæ autoritate repu-

a De ortu hæres. lib. 7. cap. 19. num. 4.

b Ibidem.

c Lib. 1. c. 10

d Raynald. an. 1416. num. 13.

e Cõmonitor cap. 23.

diatum esse Doctorem, nobis scriptam existimemus Deuteronomii legem[a]: *Si surrexerit in medio tui Propheta, aut qui somnium vidisse se dicat .... & dixerit tibi; eamus, & sequamur Deos alienos, quos ignoras, & serviamus eis; non audies verba Prophetæ illius, aut somniatoris: quia tentat vos Dominus Deus vester, ut palàm fiat, utrum diligatis eum, an non, in toto corde vestro, & in totâ animâ vestrâ.*

a Cap. 13.

Porrò adversùm Goliathos illos sectarum Corypheos suscitabit fidelium miserator Deus Davides suos[b], *ut sciat omnis terra, quia est Deus in Israel, & noverit universa Ecclesia hæc, quia ipsius est bellum*, quo profligari oportet agmina Philistæa, quæ in Ecclesiam immittit hæreticarum præstigiarum faber Diabolus.

b 1. Reg. 17

FRAUS III.

Scripturas Sacras erroribus obtendere.

NUllum habet Ecclesia præsidium fidei sanctius, quàm Scripturas Sacras: hoc nobis intervertere nullis non machinis Hæretici conati sunt semper Scripturas Sacras ad-

versus Ecclesiæ fulmina pro scuto nunquam non objecere.

Rem ipsam putes, cùm videas Doctorem Hæreticum, suos inter discipulos tristem, & non sine suspirio Scripturas Sacras ingeminantem, & multa quærentem de communi imperitiâ, & neglectu Scripturarum Sacrarum. Scripturis Sacris nisi abutamur ad stabiliendam hæresim, rudes illarum, & imperiti reputamur.

Non tulit fraudem, & arrogantiam Tertullianus [a]? Non sunt, inquit, admittendi Hæretici ad eandem de Scripturis provocationem .... nullum jus capiunt Christianarum litterarum: ad quos meritò dicendum est: Qui estis? Quando & undè venistis? Quid in meo agitis non mei? Quo denique Marcion jure silvam meam cædis? Quâ licentiâ, Valentine, fontes meos transvertis? Quâ potestate, Apelles, limites meos commoves? Mea est possessio: quid hîc cæteri ad voluntatem nostram seminatis & pascitis? Mea est possessio: olim possideo: prior possideo: habeo origines firmas ab ipsis Autoribus, quorum fuit res: ego sum hæres Apostolorum".

[a] *Lib. de præscript. cap. 15.*

Satis audaciæ est illis, ut hanc nobis hæreditatem abjudicent. At nos tabulis Sacrosanctis, Ecclesiæ, Sedisque Apostolicæ certissimis decretis vincimus, nostram esse hæreditatem

Apostolorum: interpretem Sacrarum Scripturarum Ecclesiam, & Apostolicam Sedem
„ audimus, sequimurque. "Ego sum hæres
„ Apostolorum: (pergat enim Tertullianus)
„ sicut caverunt testamento suo Apostoli,
„ Apostolica Ecclesia, & Petri Apostolorum
„ Principis successores, ita teneo. Vos certè
„ exhæredaverunt semper, & abdicaverunt, ut
„ extraneos, ut inimicos". Consectariam sen-
a In psalm. 118. ser. 11. n. 5. tentiam Ambrosius subscribat [a]: Fures sunt,
„ qui verbum Dei, non ad utilitatem suam fu-
„ rantur, & rapiunt; sed ad fraudem: & patri-
„ monium quoddam cœlestium Scripturarum
„ in sua furta detorquent." Tum verò, quod
b Ibidem. facit [b], in eos vibret illa Davidis [c]; *Peccatori*
c Psalm. 49. *autem dixit Deus, Quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum?*

Nos verò demus pacatiora quædam; sed ad retegendam artis hæreticæ fraudem accommodatiora. Luculentus fuit Vincentius
d Cōmonit. cap. 35. Lirinensis [d]: "Videas, inquit, eos volare per
„ singula quæque Sanctæ Legis volumina.......
„ Lege Pauli Samosateni opuscula, Priscilliani,
„ Eunomii, Joviniani, reliquarumque pe-
„ stium, cernas infinitam exemplorum con-
„ geriem, propè nullam omitti paginam, quæ
„ non novi, aut veteris Testamenti sententiis
„ fucata, & colorata sit: sed tantò magis ca-
„ vendi, & pertimescendi sunt, quantò
occul-

occultius sub divinæ legis umbraculis latitant: sciunt enim, fœtores suos nulli ferè citò esse placituros; si nudi & simplices exhalentur: atque idcircò eos cœlestis eloquii velut quodam aromate aspergunt .... Faciunt, quod hi solent, qui parvulis austera quædam temperaturi pocula, priùs oras melle circumlinunt, ut incauta ætas, cùm dulcedinem præsenserit, amaritudinem non reformidet". Latissimè hunc locum diffundit Vincentius, atque ob hanc fraudem Hæreticos censet à Christo appellatos [a] *Pseudoprophetas, & in vestitu ovium lupos rapaces*: A Paulo verò [b] *Pseudoapostolos, operarios subdolos, transfigurantes se in Apostolos Christi.*

a *Matt.* 7.

b 2.*Cor.* 11

Perniciem fraudis Athanasius observavit: [c] "Occultant animum, inquit, ac deinde in scribēdo Scripturarum verbis pro escâ utuntur; ut latenter in suam malitiam pertrahant ignaros."

c *Disp.* 1. *contra Arianos.*

Perniciem eandem explicuit eruditè S. Hieronymus [d]: "Legunt, ait, & ipsi Scripturas, & quasi de Scripturarum testimoniis conspergunt panem, & totâ nocte in clibano coquunt illum: sed cum ad vescendum datus fuerit, comedentes ad insaniam provocat. Habent pulmentum, & coctionem, conantes juxta perversitatis suæ sensum mystica quæque de Scripturis texere, &

d *In Aggæi cap.* 2.

„ quaſi coquere, & condire carnes agni; ſed „ coctio illa perditio eſt. Habent & vinum; „ ſed non de vineâ Sorech, & quam plantavit „ Dominus in Hieremiâ [a], *Electam, & totam* „ *veram*; ſed de vineâ Sodomorum. Habent „ & oleum, quod de veteris, & novæ Scrip- „ turæ teſtimoniis violenter exprimunt, & „ quaſi in refectionem deceptis, & laſſis men- „ tibus pollicentur: ſed deteſtatur illud San- „ ctus, & dicit [b]; *Oleum autem peccatoris non* „ *impinguet caput meum.* Habent & diverſos „ cibos; multiplices videlicet variarum hypo- „ theſeon, diverſosque tractatus; quos, quia „ immundi ſunt, qui ſcripſerunt, & de immun- „ do ore prolati ſunt, omnis, qui tetigerit, im- „ mundus fiet".

a Cap. 2.

b Pſal. 140.

Utantur igitur Scripturis Sacris Hæretici eo conſilio, quod Diabolus inſpiravit, & ipſe, ſi placet, Scripturarum haud imperitus. Patrum eſt obſervatio. Auguſtinus quidem Petiliano Donatiſtæ ſacrum teſtimonium prodigenti [c], "Verba legis, inquit, dicitis; „ ſed in quos dicatis, non attenditis: ſicut „ Diabolus verba legis dicebat; ſed cui diceret, „ non agnoſcebat". Fuit eadem Ambroſii cogitatio [d]: "Non te capiat Hæreticus; „ quia poteſt de Scripturis aliqua exempla pro- „ ferre: nec ſibi arroget, quod doctus videa- „ tur. Utitur & Diabolus teſtimoniis Scrip- „ turarum, non ut doceat; ſed ut circumſcribat, &

c Contra lit. Petil. l. 2. cap. 51.

d Lib. 4. in Luc. c. 4.

& fallat". Eadem Arianis impegerat Magnus Athanasius [a].

Sed hæc illi strictim: dilatavit verò egregiè Vincentius Lirinensis [b]: compendio exhibeamus. Hæreticos ait Scripturis sacris utentes Autoris sui Diaboli callida machinamenta sectari. Diabolum scilicet eo inverecundiæ progressum, ut sperarit ipsum se Christum arte istâ perditurum, cum diceret [c]: *Mitte te deorsum: scriptum est enim, quod Angelis suis mandavit de te, &c.* Tum verò, "Quid faciet Diabolus, inquit Vincentius, misellis hominibus, qui ipsum Dominum Scripturarum testimoniis adpetivit? .... Sicut tunc caput capiti, ita nunc quoque membra membris loquuntur: membra scilicet Diaboli membris Christi, perfidi fidelibus, sacrilegi religiosis, Hæretici postremò Catholicis".

Ac tandem ad suasionem Diaboli pariter, & Hæreticorum, *Mitte te deorsum*, "Si quis interroget, ait, quempiam Hæreticorum; unde probas? Unde doces? .... Statim ille: *Scriptum est enim*: & continuò mille testimonia, mille exempla, mille authoritates parat de lege, de Psalmis, de Apostolis, de Prophetis, quibus novo, & malo more interpretatis ex arce Catholicâ in hæreseos barathrum infelix anima præcipitetur".

[a] *Disp. 1. & 2. contra Arianos.*

[b] *Cõmonit. cap. 37.*

[c] *Matth. 4.*

Post

Post hæc operam perdam, si historias ipsas secutus demonstrem, propriam esse Hæreticorum hanc fraudem: res ipsis in oculis, atque auribus posita est omnium, qui Hæreticos tractarunt. Etiam inter convivia Scripturas sonant; ut Vincentius idem adnotavit [a]: neque id importunè: Hæreticos enim abutentes Sacris testimoniis Hieronymus [b] similes facit temulento Balthasari, ejusque optimatibus, & uxoribus, & concubinis, qui è Sacris vasis *bibentes vinum laudabant Deos suos aureos, & argenteos, æreos, ferreos, ligneosque, & lapideos*: ut neque mirum sit, Arium etiam Thaliam suam, convivalem librum, sententiis sacris conspersisse; quod Arianis exprobravit S. Athanasius [c].

Sed verò seu in convivio, seu in Ecclesiâ Hæretici abutentes Scripturis sacris cavendi piis Christianis, ut fures [d], ut *lupi*, ut *Pseudo-Apostoli*, ut *operarii subdoli* [e], ut *Diaboli* [f]. "Igitur denuntio vobis (sic locum hunc Athanasius [g] concludat) ut quisque caveat, ne ab illis „ decipiatur...... sed potius, ac si Judaïca impie- „ tas Christianam fidem invaderet, zelum Do- „ mino zelate........ Ne substinueritis eos, qui „ contra eam novis rebus student, etiamsi di- „ ctiones ex Sacris litteris scribant....... Nam & „ Diabolus loquebatur è Sacris litteris, sed ta- „ men æquè illi os obturatum est à Salvato- „ re". Intelligant Hæretici, non aliâ spe Scripturis sacris sese niti.

[a] *Commonit. cap. 25.*
[b] *In Daniel. cap. 3.*
[c] *Disp. 2. cōtra Arianos.*
[d] *S. Amb. sup*
[e] *Vincēt. sup.*
[f] *S. Aug. S. Ambr. S. Athanas Vincent.*
[g] *Disp. 1. contra Arianos.*

FRAUS IV.

Unam sonare antiquitatem: præsentis autem Ecclesiæ deplorare tenebras, & labefactam fidem.

EST omninò antiquitas populo tam incognita, quàm venerabilis: estque adeò nomen ipsum antiquitatis longè aptissimum, ut errorem populo faciat probabilem. Sed & Ecclesiæ ipsi carum, & venerabile est antiquitatis nomen; cùm sit ipsa antiquissima. Quare & antiquitatem, & Ecclesiam antiquam, & antiquos Patres sic Hæretici inclamant, ut præsentis, atque aspectabilis sibi Ecclesię & fidem, & ritus fastidiant, ipsamque Ecclesiam suâ ipsius autorirate antiquâ convincere velle videantur. Fraudem hæreticam detexere Patres jam olim.

Hieronymus quidem Hæreticis accommodans a jactabundam vocem, quæ est apud Isaïam; *Filius sapientium ego: filius antiquorum.* " Solent, ait, Hæretici regi suo, " vel Pharaoni dicere; Filii sumus sapientium, " qui ab initio doctrinam nobis Apostolicam " tradiderunt: Filii sumus regum antiquorũ ". "

a *In Isaia cap. 19.*

Sed

Sed verò quod subdit post pauca, illi „ "Filii antiquorum arguuntur stultos habuisse Doctores. Dominus enim miscuit eis spiritum vertiginis, sivè errorum .... tradidit illos Deus in reprobum sensum".

Haud absimiliter S. Gregorius Hæreticis tribuit [a] gloriationem Eliphaez Themanitæ; *Senes antiqui sunt in nobis, multò vetustiores, quàm patres tui.* Tum verò, "Hæretici inquit, ut ea, quæ asserunt, commendare stultis mentibus hominum quasi de antiquitate possint, antiquos Patres se habere testantur: atque ipsos Doctores Ecclesiæ, suæ professionis Magistros dicunt: cùmque præsentes prædicatores despiciunt, de antiquorum Patrum magisterio falsâ præsumptione gloriantur".

[a] *In 15. cap Iob. cap. 15*

Antiquior & Gregorio, & Hieronymo est hæc techna: hanc ipsam Macedonio sic exprobrat Athanasius [b]: "Quemadmodum Manichæi & Phryges, omnesque adeò hæreses dictitant, se ita credere, ut sancti Apostoli crediderunt......... ita & tu facis. Imò etiam ex Judæis audire licet; ita credimus, ut beatus Moyses, & Prophetæ; quos tamen si interroges, reperientur eum ipsum, de quo vaticinati sunt Prophetæ, crucifixisse".

[b] *Dialogo 3 de Trinit.*

Apostolos, atque omnem indè antiquitatem usque ad Victoris Papæ tempora haud

haud ſegnius jactabant Artemonis diſcipuli, quorum hæreſim contra Chriſti divinitatem Paulus Samoſatenus poſt ſuſcitavit [a].

Filius certè antiquorum, atque Apoſtolorum ſibi videbatur Aëtius, Orthodoxos in exordio opuſculi cujuſdam ſui [b] cōtemptu appellans *Temporarios quoſdam homines*; ad quod convitium Epiphanius [c] "Tu verò, inquit, temporarius multò magis appellandus es, qui & in errorem abductus es, & faſtu, arrogantiâque diſtentus, & gregis tui pecudes paſſim per dumis, & ſpinis conſita paſcua propuliſti. Nemo enim eadem tecum ex veteribus ſenſit, ô Aëti"!

Fraudem eandem Magiſtro Aëtio didicerat Eunomius in ipſo exordio Apologiæ ſuæ hæc præfatus apud Baſilium [d]: "Eam verò, quæ jam diu apud Patres obtinuit piam traditionem, tanquam amuſſim quandam, aut regulam, exponendo præmittamus, ut quæcumque dicuntur tutius per eam poſſimus judicare". His ſubdidit quandam fidei confeſſionem, innoxiam quidem; ſed tam ſimplicem, atque indifferentem, ut variâ commentatione egeret, quâ occaſionem ſumeret pervertendi Patrum fidem, & traditionem; ut Baſilius obſervat.

Eſt verò haud injucunda obſervatu res, quo ſupercilio accipiant illi *Filii ſapientium*, *Filii antiquorum*, ſi quam vocem receperit Eccleſia,

a *Euſeb. lib. 5. cap. 21.*

b *Epiphan. hæreſ. 76.*

c *Ibid. Confut. 1. n. 1.*

d *Lib. 1. cōtra Eunomium.*

Ecclesia, quæ nova videatur, neque in Scripturis Sacris, librisve antiquorum Patrum extare. Hoc verò temerarium, hoc periculosum esse contestantur, ab antiquis illis Ecclesiæ primitivæ vocibus abire: neque cessant objectare Orthodoxis *Prophanas vocum novitates* Apostoli jussu devitandas [a].

a Tim. 3.

Arius quidem in eâ disputatione, quam Laodiceæ habuit cum S. Athanasio, quàm magnificè ad Apostolos sua refert dogmata! Quàm molestè accipit novam vocem *Homousion*! "Quid opus erat, inquit [b], novum „ hoc *Homousion* vocabulũ antiquis dogmatum „ regulis inseri? Numquid enim Apostoli, vel „ eorum discipuli........ qui *Homousion* vocabu„ lum ignorabant, impietatis sacrilegium in fi„ dei veritate secutos esse dicemus? .... Quid „ conveniens erat, antiquis Apostolorum „ obviare doctrinis, & novitatem vetustati „ præscribere? .... Si vera est *Homousii* as„ sertio, falsa erit Apostolorum prædicatio. „ Revolve cuncta novi, & veteris Testamenti „ volumina, utrum alicubi *Homousion* inditum „ paginis poteris reperire". Expostulationem hanc verbosissimè amplificat.

b *Athã disp. contra Arium Laodic. habita primo die.*

Vafris hominibus molestum erat nomen; sed res molestior: nomen ipsi fabricaverant, ut Ambrosius memorat [c]: " Autor, inquit, „ ipsorum Eusebius Nicomediensis prodidit „ dicens; si verum Dei Filium, & increatum dicimus,

c *Lib. 3. de fide ad Gratian. c. ult.*

dicimus, *Homousion* cum Patre incipimus confiteri. Hæc cum lecta esset epistola in Concilio Nicæno, hoc verbum in tractatu fidei posuerunt Patres, quod viderunt adversariis esse formidini, ut tanquam evaginato ab ipsis gladio, ipsorum nefandæ caput hæresis amputarent".

Macedonius quoque cum Athanasio disputans, planèque constrictus, ne tacitus ex arenâ discederet, jecit ad extremum fastidiosa hæc[a]: "Novis, & insolentibus istis vocibus deterreor. Patres nostri numquam apud nos istis vocibus sunt usi: Necesse est ut dispiciam de novo isto, & peregrino dicto, &c".

Ut nomen *Homousion* Ariani, sic nomen *unionis secundùm hypostasim* Nestoriani Orthodoxis improperabant; sed imprimis Cyrillo Alexandrino, cujus secundùm Anathematismum haud ferebant, quo prædicatur *verbum secundum hypostasim carni unitum.* Contrà illi[b]; "*Vnionem secundùm hypostasim* modis omnibus ignoramus; tanquam peregrinam, & alienam à divinis Scripturis, & Patribus, qui illas interpretati sunt .... superflua *secundùm hypostasim unio*; sufficit autem dicere unionem". Displicebat iisdem graviter ignotum Scripturis sacris nomen *Thetocos*, quo in Ephesinâ Synodo condecorata est Sanctissima Virgo MARIA. Contrà Cyrillus Alexandrinus[c], "Interrogentur, inquit,

[a] *Athã. dial. 3. de Trinit.*

[b] *Apud Cyrill. lib. pro 12. capitib. Anath 2.*

[c] *Epist. ad Cler. Constãtin. dissid.*

„ inquit, & ipsi, ubi *Christotocon* aut *Theodothon*
„ invenerint scriptum": his enim nominibus libenter ipsi utebantur.

Minus mirum, Hæreticos Monothelitas in sextâ Synodo [a] objectam sibi vocum novitatem promptissimè detestatos esse: procul à novatoribus crimen novitatis: "Nos aiebant, vocum novitates non edidimus: sed quidquid percepimus à Sanctis universalibus Synodis, & Sanctis probabilibus Patribus .... sic credimus, & prædicamus, & docemus, & parati sumus de hoc ostendere".

a *Actione* 1.

Sed imprimis admirabile est pathos illud, quo solent Ecclesiæ, & fidei hostes deplorare Ecclesiæ pariter, fideique occasum, & defectum extremum: suam esse ætatem haud dubitant, in quam respiciant Christi verba [b]; *Filius hominis veniens putas inveniet fidem in terrâ?* Etenim Christi fidem olim radiantem, vix tandem apparere, atque in paucis admodum subsistere. Lamenta hæc ipsa olim erant Donatistarum Hæreticorum.

b *Lucæ* 18.

Hos contra Augustinus locum Psalmi tractans [c]; *In conveniendo populos in unum, & reges, ut serviant Domino: respondit ei in die virtutis suæ, &c.* egregiè tuetur majestatem, atque amplitudinem Ecclesiæ à Christo fundatæ. "Sed, inquit, existunt, qui di-
„ cant; jam hoc factum est: respondit ei in omni-

c *Enarrat. in Psal.* 101.

omnibus gentibus Ecclesia, pariens filios "
plures quàm illa, quæ habebat virum: res- "
pondit ei in viâ fortitudinis suæ......... credi- "
derunt in eum omnes gentes. Sed illa Eccle- "
sia, quæ fuit omnium gentium, jam non est, "
periit". Hactenus Hæreticorum impia la- "
menta expressit: hæc sic excipit: "Hoc di-
cunt, qui dicunt, qui in Ecclesia non sunt. "
O impudentem vocem! illa non est; quia tu "
in illa non es? Vide, ne tu ideò non sis: nam "
illa erit; etsi tu non sis. Hanc vocem abomi- "
nabilem, & detestabilem, præsumptionis, & "
falsitatis plenam, nullâ veritate suffultam, "
nullâ sapientiâ illuminatam, nullo sale con- "
ditam, vanam, temerariam, præcipitem, "
perniciosam prævidit Spiritus Dei........ Quo- "
niam quidam dicturi erant contrà; fuit, & "
non est, *Exiguitatem*, inquit, *dierum meorum* "
annuntia mihi: Quid est, quod, nescio qui, "
recedentes à me, murmurant contra me? "
Quid est, quod perditi, me perisse conten- "
dunt? Certè enim hoc dicunt, quia fui, & "
non sum: annuntia mihi exiguitatem die- "
rum meorum....... Quis annuntiavit mihi, "
nisi ipsa via? Quomodò annuntiavit? Ecce "
ego vobiscum sum usque in consummatio- "
nem sæculi: Sed hîc existunt, & dicunt; vobis- "
cum sum, inquit, usque ad consummationem "
sæculi; quia nos prævidebat; quia pars Do- "
nati erat in terrâ...... Non vos filii estis illorũ "
morti-

,, mortificatorum, quorum vox compeditorum audita est à Domino: absit. Non hoc indicant facta vestra: non hoc indicat superbia vestra: non hoc indicat vanitas vestra: non sapitis, & foris estis: sal infatuatum estis, ideò & ab hominibus conculcamini. Audite quid dicat Ecclesia .... mota vocibus vestris, & falsis opinionibus vestris quærit à Deo, ut exiguitatem dierum suorum annuntiet sibi, & invenit Dominum dixisse; *Ecce ego vobiscum sum usque in consummationem sæculi*. Hic vos dicitis, de nobis dixit: nos sumus; nos erimus usque in consummationem sæculi. Interrogetur ipse Christus, cui dictum est; Exiguitatem dierum meorum annuntia mihi. *Et prædicabitur*, inquit, *hoc Evangelium in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus, & tunc veniet finis*". Quàm facundè, quàm graviter, quàm nervosè in Donatistis superbiam contudit, omnium, qui venturi essent, Hæreticorum, Maximus Patrum Augustinus!

Spiritu eodem afflatus videtur fuisse, Puppianus ille, quem reprehendit acriter S. Cyprianus [a] de pestilenti scrupulo, quem injecerant homines prophani, & extra Ecclesiam positi: "Quare, inquit, in hunc scrupulum non inciderunt Martyres Sancto Spiritu pleni, & ad conspectum Dei, & Christi ejus passione jam proximi? .... Quare in hunc

[a] *Epist. 69.*

scrupulum

ſcrupulum non inciderunt tot Coepiſcopi "
Collegæ mei? .... Tot Confeſſores quæ- "
ſtionati, & torti, & inſignium vulnerum, & "
cicatricum memoriâ glorioſi? Tot Virgines "
integræ? Tot laudabiles viduæ? Eccleſiæ de- "
nique univerſæ, per totum mundum nobiſ- "
cum unitatis vinculo copulatæ? Puppianus "
ſolus integer, inviolatus, ſanctus, pudicus, "
qui nobis miſcere ſe noluit, in paradiſo, at- "
que in regno cœlorum ſolus habitabit".

Quid autem illi Schytæ Monachi, qui Eutychianam hæreſim novis deliriis auxerunt? Metuentes ſibi ab Hormiſdæ judicio, non dubitarunt legationem inſtituere ad Africanos Epiſcopos, & quidem nomine Orientalis, imò univerſalis Eccleſiæ [a]. Ad hunc manipulum ſcilicet Monachorum, redacta erat univerſalis Eccleſia.

[a] *Baron. an. 519. num. 111. 112.*

Sed quàm ſeriò Filii tenebrarum Eccleſiam miſerantur in tenebris ſedentem! "Quid eſt, ait Gregorius [b], quod amici Job conſi- "
dere ei ſeptem diebus, & ſeptem noctibus "
referuntur; niſi quod Hæretici, vel in his, in "
quibus verum lumen intelligunt, vel in his, "
quibus ignorantiæ tenebras patiuntur, quaſi "
infirmanti Sanctæ Eccleſiæ ſe condeſcendere "
ſimulant, eique ſub blandimentorum ſpecie "
dolos deceptionis parant". Et alibi [c]. "Quia "
enim ſe Hæretici tenere lucem veritatis æſti- "
mant, SanctamEccleſiã quaſi in erroris nocte "

[b] *In cap. 2. Iob. c. 15.*

[c] *In cap. 7. Iob. c. 22.*

C poſitam,

positam, ad diluculum veritatis vocant; quatenùs & per cognitionem Dei, quasi per diluculum, surgat, & per precem pœnitentiæ preterita diluat".

a Raynald. ad an. 1382 num. 30.

Egregiè egit has partes Wicleffus [a] tenebras Ecclesiæ, & caliginem densissimam sæpè deplorans. Sed omnes superavit Martinus Lutherus. Specimen exiguum præbeat epistola (nisi Libellum malis dicere) quam ad omnes civitatum Germaniæ Magistratus dedit encyclicam, de erigendis Scholis [b]; ubi "Inspiciamus, ait, priorem miseriam nostram, „ & tenebras, in quibus fuimus. Arbitror, „ Germaniam nunquam anteà tantùm de verbi Dei audivisse, quantùm nunc: certè in „ historiis nullum de hoc reperitur vestigium. „ Quod si illud sic sine gratiâ, & honore transire sinimus, verendum est, ne adhuc horrendiores tenebras, plagasque patiamur. „ Chari Teuthones emite, dum præ foribus „ sunt nundinæ: colligite dum lucidum est „ cœlum, & aura serena, &c".

b Cocl. de actis Lutheri an. 1524.

His consentanea jactanti Calvino, "Ergo „ nullus amplius, inquit Espencæus [c], in orbe „ fuit Christianus. Ergo Ecclesia id unum „ egit, ut infernum civibus impleret. Ergo demum ante quindecim annos veritas orbi „ illuxit". Contra hæc ille contendit, Christi fidem in paucis quibusdam sui similibus substitisse semper.

c Flor. Ramund. de orig. hæres. l. 7. c. 18. num. 5.

Men-

Mentitur verò & Calvinus, & Lutherus, & cœteri vulgò Hæretici, hoc unum profitentes se agere, ut Ecclesiæ tenebras discutiant, fidemque reparent labefactam: Ecclesiam re ipsâ moliuntur novam. Non dissimulavit Carolstadius, qui, ut Florimundus narrat [a], "Cùm Lutherum in formandâ suâ Ecclesiâ valdè occupatum, & anxium videret, autor ei fuit, ut novam potiùs institueret, quàm veterem restitueret".

[a] De origin. hæref. lib. 2. cap. 7.

Interea Ecclesiam antiquam, Ecclesiam primitivam occinent semper: fidem Ecclesię antiquæ obnubilatam, atque extantem in paucis, protrahendam esse in lucem ex Scripturis Sacris, & monumentis antiquis: ad hasce regulas exigenda nobis esse Ecclesiæ præsentis Decreta: illis regulis sic compererimus congruentia, tum rectè habere: sin autem; pedibus trahenda. Hâc impietate scatent Lutheri scripta & Hæreticorum ferè cæterorum.

Sed Ecclesiæ Catholicæ Præsules pro munere suo excubantes adversus omnem hæresim, confirmet Augustinus; magis verò res ipsa, quam animadvertit. Neque fides, neque amplitudo sua deficiet Ecclesiam toto orbe diffusam usque in consummationem sæculi, ut supra docentem audivimus. Quod olim credidit, docuitque illa Catholica, illa ampla Ecclesia, hoc idem credet, docebitque

orbe toto in omnes annos venturos. "Nemo vobis, ait Augustinus[a], susurret doctrinas alienas: hoc Ecclesia semper habuit, semper tenuit, hoc à majorum fide percepit, hoc usque in finem perseveranter custodit". Quæ autem ista Ecclesia, & quanta? Anne Donati cujuspiam manipulus? "Interrogetur, ait Augustinus idem[b], ipse Christus: *Et prædicabitur*, inquit, *hoc Evangelium in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus, & tunc veniet finis.*

a Serm. de verbis Apost

b Enarrat. in psal. 101.

Illis verò superciliosis, & judicio suo omnia tribuentibus in scrutandâ Scripturâ, omnique antiquitate, medeantur illa, quibus Fausto Manichæo mederi studuit S. Doctor[c], "Videtis ergò, id vos agere, ut omnis de medio tollatur Scripturarum Autoritas, & suus cuique animus autor sit, quid in quâque Scripturâ probet, quid improbet: idest, ut non autoritati Scripturarum subjiciatur ad fidem; sed sibi Scripturas ipse subjiciat: non ut ideò illi placeat aliquid, quia hoc in sublimi autoritate scriptum legitur; sed ideò rectè scriptum videatur, quia hoc illi placuit. Quò te committis anima misera, infirma, carnalibus nebulis involuta, quò te committis.".

c lib. 32. cõtra Faust. Manich. cap. 19.

FRAUS

FRAUS V.

S. Augustinum præcipuè Patronum facere impiorum Dogmatum.

AUdeatne Ecclesia hæresim ferire Augustini speciosam nomine? Augustinum procacissimi homines Ecclesiæ objectant, certissimò confisi, nisi per hujus latus, se peti non posse.

Pessimæ fraudis semina quædam est invenire in iis Hæreticis, quibus Augustinus vel posterior fuit ætate, vel minus familiaris. Arianos quidem constat magno strepitu sibi vindicasse Dionysium Alexandrinum pietatate, ac eruditione summum virum, contendentes, suum esse prorsus, ubi contra Sabellium disputaverat; ut necesse habuerit S. Athanasius scriptâ Apologiâ [a] tantum illis præsidium extorquere. Ruffinum perstringit S. Hieronymus [b], quod unius Joannis nomen, viri apprimè Orthodoxi, & Sancti, in libri sui principio ostentarit, hoc tamquam melle, absinthii sui pocula contingens. Magnum Athanasii nomen sonabant altissimè Nestoriani, præcipuè, ubi Apollinarii hære-

[a] *Ad calcem lib. de Synod. Nic. decret. contra hæres. Arian.*

[b] *Ad Ctesiphont.*

ſim extremè contrariam Neſtorianæ confutaverat : ne quà elaberetur, etiam vim adhibebant, fœdè adulterantes ejus epiſtolam ad Epictetum, ut queritur S. Cyrillus non ſemel [a]. Ipſum verò Cyrillum Alexandrinum & Eutyches Hæreſiarcha [b], & Eutychiani Hæretici [c], & Monothelitæ [d] extollebant præcipuè, ut Doctorem ſuum, quâ parte Neſtorii hæreſim ea dividentis in Chriſto, quæ hi confundebant, impugnaverat.

a Epiſt. priori ad Succenſ. ep. ad Acac.
b In confeſſ. fid. in conciliab. epheſ.
c In Syn. Chalced. actio. 1.
d Macar. in Synod. 6. act. 1. Paul. Conſtantinop. epiſt. ad Theod. Pap.

Quid plura? Fraudem multis communem Vincentius Lirinenſis obſervavit, [e] eos deteſtans, "Qui cum ſub alieno nomine hæreſim concinnare machinentur, captant plerumque veteris cujuſpiam viri ſcripta, paulò involutius edita, quæ pro ipsâ ſui obſcuritate dogmati ſuo quaſi congruant, ut illud neſcio quid, quodcumque proferunt, neque primi, neque ſoli ſentire videantur".

e Common. cap. 11.

Sed impiis hominibus ad contumeliam hanc idoneus præcipuè viſus Auguſtinus. Illuſtre tanti Patris nomen, quàm impiis doctrinis, quamque multis præfixum cernimus! Vix diem ſuum obierat S. Doctor; [f] ecce tibi Prædeſtinatianos Hæreticos Auguſtini autoritate aſſerere auſos [g] "Nec piè viventibus prodeſſe bonorum operum laborem; ſi à Deo ad damnationem præſciti eſſent, nec impiis obeſſe, etiamſi improbè viverent;

f Baron. an. 490. n. 17.
g Sigebert. in Chron. an. 415.

ſi

si à Deo prædestinati fuissent ad vitam". Huc miseri ea rapiebant, quæ de gratiâ miserentis Dei, & prædestinatione contra Pelagianos disputaverat Augustinus. Hæresim prædestinatianam aliquot sæculorum intervallo repullulantem operâ Godescalci Monachi, compresserunt Episcopi Galliæ, & Belgii, cùm auderet ille asserere, *Deum non velle omnes homines salvos fieri, sed duntaxat eos, qui salvantur: Christum non esse mortuum pro salute omnium hominum, sed tantùm pro his, qui salvantur*, & his alia consentanea, ut refert Baronius Cardinalis[a], testimonio Hincmari Archiëpiscopi Rhemensis.

Constat similiter, & Faustum Rhegiensem de viribus liberi arbitrii errantem, & Spiridionem Hæreticum, & Berengarium (& quos non Hæreticos?) autoritate Augustini largiter abusos esse.

Quid opus tam antiquis, quando recentior est memoria Wicleffi, Lutheri, Calvini, qui studio Augustini Superiores omnes vicerunt.

Joanni Wicleffo nomen Augustini erat charius, quàm suum: discipuli adulatores Joannem Augustini appellabant[b]: An dubitamus, num ejus scripta, ut Augustinum Wicleffi quemdam venerati sint?

Augustini autoritate sperabat Hæresiarcha, facilè se depulsurum notam omnem no-

[a] *An. 848. n. 7. 8.*

[b] *Waldens. Tom. 1. l. 1. art. 2. c. 34. num. 4.*

novitatis. Extat ejus apud Waldensem [a] vox confidentiæ plena: *A modernis dissentio; sed cum multis Sanctis antiquis, & specialiter Augustino convenio.* Eundem Waldensis exhibet vociferantem, & strepentem sæpè [b]; *Sic habet Augustinus, ut doceo: sic lex Papalis, & Concilia. Quomodo ergo adversa mihi docentes, & tenentes non sunt Hæretici capitales?* Ad quem fastum ille; "Propter has furias, ait, nolite abduci, nec citò moveamini, filii Ecclesiæ. .... Quomodò formidaret Hæreticus iste falsificare dictum Augustini; quando non timet falsum testem facere textum Dei? .... Nonne Augustinus sensit, hanc injuriam irrogari sibi, dum vixit? Respiciatur liber Retractationum ejus [c], ubi dicit, Pelagium Hæreticum posuisse in libro suo quoddam dictum ejus de libero arbitrio, & purgat se ibi de assensu hæretico. Petilianus item in responsionibus suis allegat pro se Augustinum in materiâ de baptismo: & Augustinus librum edidit contra quædam capitula sibi falsò imputata in materia de prædestinatione. Credibile est, si in carne viveret, multò crassiorem librum jam scriberet contra innumera quasi capitula falsò imputata". Hæc Waldensis.

[a] *Ibidem.*

[b] *Tom. 2. doctrin. 2. num. 1.*

[c] *Lib. 1. cap. 9.*

Minusne Martini Lutheri esset Augustinus quàm Wicleffi? Non patietur ille. Objecerat Erasmus pro libero arbitrio pugnantem

tem autoritatem sæculorum, Sanctissimorum Martyrum, Academiarum, Conciliorum, Episcoporum, Pontificum, atque ex hâc parte stantem eruditionem, ingenium, multitudinem, magnitudinem, altitudinem, fortitudinem, sanctimoniam, miracula, & quid non? Ad hæc verò Lutherus [a]. "Fateor inquit, mi Erasme, non immeritò te istis omnibus moveri.......... Potes sanè cogitare, nec mihi saxeum esse pectus: atque si saxeum esset, tamen tantis fluctibus, & æstibus luctatum, & collisum potuisse liquescere, dum id auderem, quo facto videbam, omnem illorum autoritatem, quos recensuisti, super caput meum velut diluvium, inundaturam". Quid ergò id ausus est tamen? Audendi causam primo loco hanc expressit; *Augustinus quem præteris* MEUS TOTUS EST. Hâc fiduciâ impius, sibique mentitus Hæresiarcha, ausus est humanæ voluntati injectam prædicare necessitatem à Divinâ gratiâ.

[a] *Lib. de Serv arbitrio.*

Fidenter æquè de Magistro suo Melancthon adversus Parisienses Doctores [b]: "An non Lutheri, inquit, de libero arbitrio, de gratiâ, si rectè rem æstimes, sententia tota Augustini est, & hunc per omnia secutus est in Commentario ad Galatas? Extant utriusque Commentarii, quos si conferas, videbis convenire inter eos de rerum summâ".

[b] *Apolog. Lutheri advers. Paris. Sophist.*

Minusne

Minusnè Joannis Calvini esset Augustinus, quàm Lutheri? Imò etiam magis. Ipso principio libri sui de æternâ Dei Prædestinatione, cùm esset questus, injustè sibi ingeri veteris Ecclesiæ autoritatem, *partim falsam, partim frivolam invidiam* appellat, atque *Augustini verbis diluendam criminationem.* Tum verò *Augustinus ipse*, inquit, ADEO TOTUS NOSTER EST, *ut, si mihi confessio scribenda sit, ex ejus scriptis contextam proferre abundè mihi sufficiat .... Constabit, quàm solidè omni ex parte mihi suffragetur.* Vidistin'? Frivolam invidiam contemptæ veteris Ecclesiæ diluit Augustini autoritas, qui adeò totus Calvini est, ut ejus verbis solius sibi loqui censeat licere, & complecti, quidquid agitat impietatis. Hæc impostor post natos homines improbissimus in præfatione pestilentis libri de prædestinatione.

Ad nauseam inculcat alibi, suum esse Augustinum; sed inprimis contra Pighium scribens de libero arbitrio, necessitate quâdam in unam partẽ fixo. AUGUSTINUM, inquit [a], ASSERUI PRORSUS ESSE NOSTRUM. Ac rursus [b]; *Ergo etiamsi crepet Pighius, nobis hoc extorquere non potest, quin* AUGUSTINUS TOTUS SIT NOSTER. Undè & gloriatur *se nihil quàm Augustinum sequi .... promptum esse recognoscere, quantâ fide, ac sinceritate veram, ac genuinam Augustini mentem explicarit.* Atque

[a] *De lib. arb. in lib. 3. Pighii.*
[b] *Ibid. sub finem.*

que etiam [a], si viveret Augustinus, & Calvinianæ causæ defensionem ex professo susciperet, non aliter locuturum, atque olim est locutus. Ac denique [b] *doctrinæ suæ nullum esse caput, quod non propè ad verbum sæpius apud Augustinum occurrat.*

[a] Ibid. in l. 5. 2. Pighii.

[b] Ibid. in lib. 5. Pighii.

Est igitur & Calvini, & Lutheri Augustinus, & quidem *totus Augustinus*, si arrogantissimis, & nullius fidei hominibus de se & in suâ causâ credimus.

Sed verò libros Augustini & volvisse, & intellexisse magnum opus est ipsum, & non minus negotii plerisque, quàm fuit Augustino scripsisse. Quid verò & sæpè legisse universa Augustini scripta, & fidâ memoriâ tenere, pectusque implesse eruditione tam vastâ? nihil facilius Hæreticis, quàm hæc de se, vel de Patriarchâ suo jactare.

Grande elogium Luthero contexuit Melacthon verbis paucis [c]: *Omnia Augustini monumenta & sæpè legerat, & optimè meminerat.* Elogium exornavit in declamatione de Sancto Augustino, ubi & *peritissimum doctrinæ Augustinianæ* Lutherum, & ejus operâ Augustinum ipsum, quasi renatum in Academiâ Wittenbergensi, amplè prædicat.

[c] In præfat. ad tom. 2. Lutheri.

Diligentiam suam in legendo Augustino, suamque cum eo familiaritatem gloriosè commendat ipse Calvinus [d], "Utinam, inquiens, tantâ & attentione, & diligentiâ versatus

[d] De lib. arb. contra Pighium.

„ ſatus in Scripturis Pighius foret, tamque fa-
„ miliariter notum haberet earum ſenſum,
„ quàm & diligenter legiſſe me Auguſtinum,
„ & familiariter cognitam habere ejus men-
„ tem, jactare mihi liceat". Videsnè quàm ſit facilis Hæreticis hæc jactatio?

Sed neque difficilius iiſdem traducere Orthodoxos viros, atque egregios fidei pugiles, ut contemptores Auguſtinianæ doctrinæ. Quid enim? Hæreticorum Antagoniſtæ fortiſſimi, poſtquam pro Auguſtino decertarunt totâ virium contentione, deque Auguſtino ſunt meriti haud paulò præclarius, quàm qui ſuum eſſe, & totum eſſe ſuum impudentiſſimè ſibi perſuadent, ſi ad extremum adhibeant illud quoque S. Bonaventuræ [a]: *Auguſtinus odio Pelagianæ impietatis valdè abundanter expreſſit, plus dicens, & minus volens intelligi*, vel huic neſcio quid aliud ſimile: hic verò; ut obtrectatores Auguſtini Pelagianis pejores, acerbiſſimè vapulant ab iis, qui minùs doleant perditam Eccleſiam, quàm tantillum decerpi Auguſtino vel in ſpeciem, cùm nihil id ſit reipsâ. Exemplum videamus.

[a] *In 2. d. 33. art. 3. quæſt. 1. ad 2.*

Albertus Pighius Catholicæ fidei pariter, & Auguſtini propugnator acerrimus, cùm uni Auguſtino ſe crediturum profeſſus eſſet Calvinus, hoc invictiſſimè libro integro [b] demonſtravit, tam ex iis, quæ contra Pelagianos

[b] *Lib. 3. de lib. arb.*

gianos pro gratiâ, quàm ex iis, quæ contra Manichæos pro libertate Augustinus disputavit, liberum nobis à necessitate constare arbitrium, Augustini sententiâ. Attamen in procinctu hujus certaminis præfatus est, Augustini *intentionem* in iis, quæ contra Pelagianos scripsit, *versari universam in asserendâ, atque efferendâ divinâ gratiâ, & deprimendo, quantùm potest, libero arbitrio....... Et in his libero arbitrio alicubi videri iniquiorem, & tam parum illi, quàm potest, tribuere*; quod ipsum ita sibi ait videri, cum plerisque Orthodoxis, ut tamen profectò ex illis libris ipsis negatam à Calvino indifferentiæ libertatem eruat non segniter, evincat, planeque demonstret. Sic solent synceri, minimèque fucati Augustini discipuli.

Quid autem Calvinus ad hæc? Involat [a] in Pighii præfationem illam, ut magni flagitii ream: hanc exprobrat iterum, iterumque, ac sæpius. Pighium ipsum traducit, *ut inhumanum*, ut *cavillatorem*, ut *Simiam Augustini*, *ut canem*. Sed Pighio secura stetit fama Victoriæ, assertæque fidei pariter, & doctrinæ Augustini.

[a] *De lib. arb. contra lib. 3. Pighii.*

Nihilo item difficilius Hæreticis, Orthodoxos viros, eosque omni Theologiâ instructissimos, contemnere, ut imperitos doctrinæ Augustinianæ. Fastus Hæretici specimen non unum dedit Philippus Melancthon

a *In præfat. ad tom. 2. Lutheri.*

b *In Apolog. Lutheri contra decret. Sorbon.*

thon: Primum quidem ubi exoptat [a] judicẽ controversiarum suæ ætatis Augustinum sibi dari; atque "utinam, inquit, omnes qui Au-
» gustinum sequi se jactitant, perpetuam sen-
» tentiam, & ut ita dicam, pectus Augustini
» referrent!" Sed impotentissimè idem, ubi contra Decretum Sorbonæ declamat [b]: "O
» Theologos, inquit, ô Sorbonam! .... fini-
» te, quæso, impetrari à vobis, ut Augustinum,
» non dico, relegatis; sed inspiciatis tantùm:
» nam errorem vestrum, nulla pagina est, quæ
» non arguat........ Nihil sic miror, atque in to-
» tâ istâ Sorbonicâ Facultate neminem fuisse,
» cui Augustini sententia de gratiâ necessita-
» tem imponente, comperta fuerit". Effutit alia stylo eodem. Solis datum est Hæreticis penetrare in mentem, ac sententiam Augustini: eam qui sic interpretantur, ut sit conformis Ecclesiæ, & Pontificum Decretis; illi verò Augustinum nè legerunt quidem: eandem qui detorquent ad ea commenta & somnia, quæ pro idolis illi habent, hi verò sincerissimi S. Augustini sunt discipuli, si credimus judici mentis atræ haud minus, quàm nominis Melancthoni.

Fortasse credat quispiam, Hæreticos Augustini admiratores, suum quoque tribuere honorem Patribus cœteris, quos Augustinus ipse æstimavit; atque imprimis Chrysostomo, quem tam exquisitis modis ille defen-

defendit contra Julianum ſcribens [a], atque inter Orthodoxos Epiſcopos, quorum cœtu venerabili adverſarium terreret, conſidere juſſit; ut *cujus ſententiâ, & maximè quidem opus eſſet*, ut *qui in Eccleſiâ Catholicâ tam præcipuus emineret*.

[a] *Lib. 1 contra Iulian.*

Imò verò Auguſtinum ſic admirantur illi (certè quidem ſimulantc) ut Patres Auguſtino antiquiores flocc.ipendant: ſed inprimis Græcos, atque in his Chryſoſtomum præcipuè, quorum omnium nulla ſit autoritas, ubi de libero arbitrio verſatur controverſia. Calvinum audi [b]: "Tametſi, ait, Græci præ aliis, atque inter eos ſingulariter Chryſoſtomus, in extollendâ humanæ voluntatis facultate modum exceſſerunt, veteres tamen omnes excepto Auguſtino, ſic in hâc re variant, aut vacillant, aut perplexè loquuntur, ut certi ferè nihil ex eorum ſcriptis referre liceat". Vel hinc perſpici datur, quo illi ſtudio Auguſtinum ſimulent ſe admirari, qui eos contemnant quos Auguſtinus coluit impensè, extulitque libris totis [c].

[b] *Lib. 2. inſtitut. c. 2. num. 4.*

[c] *Lib. 1. & 2. cõtra Iulian.*

Quid tamen cauſæ dicemus eſſe, quæ ad Auguſtinum potiſſimum eos detulerit? Dicet Ebroïcenſis Epiſcopus Claudius de Sainctes [d]. "Obſervare licet, inquit, adverſarios, ſivè noſtra deſtruendo, ſivè ſua aſſerendo, ſolidis, & certis ſcripturis carere, atque in

[d] *Lib. de reb. Euchar. repetit. 6. c. 9.*

„ in omni controversiâ ad unum Augustinum,
„ tanquam ad sacram anchoram, refugere:
„ non quod ab eorum partibus stet; sed quo-
„ niam tam multa, ac tam variè scripsit pro
„ re natâ, ut facilè fuerit omnibus post illum
„ Hæreticis, aliquid de ipso contorquere,
„ atque aliorsum, quàm ipse dixeri, vertere".

Ut adeò non immeritò Waldensis sic optet, voveatque [a]: " Utinam, qui Augustinum, aut aliquem Sanctum Patrem vocant in patrem, eum, quem sic invocant, putarent astare præsentem, promptumque coram omnibus dicere: Non ego hoc sensui, quod nomine meo falsè finxisti, sed solùm quod antiquitus dixit, & docet omnis Ecclesia [b]. Non scandalum paterentur, ut modò, Sanctorum volumina: non sic auderent Hæretici ad suum sensum perversum trahere Augustinum: ita ut anxius Augustinus de librorum suorum calumniatione hæreticâ dicat illud Ecclesiastæ 2. Odivi omnem laborem meum, quo ego laboravi sub sole .... Quia quod pro fide corroborandâ composui, in ejus solutionem proficit, & in corpus Ecclesiæ valida tela jactat: quod singulis prodesse volui, multos lædit, quod nolui".

a *Tom. 2. cap. 31.*

b *Lib. 6. cõtra Iuliã. cap. 4.*

Sed verò solatium, si minus Augustino, certè Augustini discipulis ingenuis præbeat Facundus Hermianensis [c], concludatque hunc locum. Dixerat etiam Faustum Rhegiensem,

c *Lib. contra Mocianum.*

Rhegiensem, incongruè adhibitis Augustini sententiis, in errorem induxisse incautos: "Quid autem in hoc miremur? ait. Neque " enim melius loqui potuit Augustinus, quàm " Prophetæ, quàm Apostoli, & Evangelistæ, " quorum verbis similiter malè intellectis, & " incongruè adhibitis, tam multi Hæretici " suos defendere conantur errores". Addamus, fraude ipsâ Hæreticorum facilè retectâ, semper splendorem eximium accessisse & Augustini scriptis, & Catholicis doctrinis.

FRAUS VI.

Dogmatum & librorum suorum approbationes emendicare ab Episcopis.

HIc verò Diabolo resistite fortes in fide, quiqui Hæreticos odistis. Apostolorum Successores, Ecclesiæ Præsules, & custodes Episcopos circumveniunt, & quo præsidio par esset, Ecclesiam decertare adversus omnem perfidiam, illud ipsum perfidi adversus Ecclesiam vel suum faciunt, vel esse mentiuntur. Certè quidem hîc experiuntur, quid adulatione, quid hypocrisi, quid

technis valeant. Impiis doctrinis subscripta videas Episcoporum nomina longâ serie. Hâc approbatione seu verâ, seu fictâ, vallatam impietatem Ecclesiæ ipsi inexpugnabilem censent.

Magni quidam artifices hujus fraudis fuerunt Ariani, præeunte Ario, qui ubi primum audaciæ suæ adversantem sensit Alexandrum Patriarcham, adjunctâ sibi hominum turbâ omnis generis permagnâ, conciliatis etiam Meletianis, nihil se egisse ratus est; nisi Episcopos haberet suffragatores, atque approbatores. Primùm quidem delegit sibi idoneum factioni coryphæum natu grandævum [a], atque in aulâ Constantini potentem Eusebium Nicomediensem Episcopum. Commendatione fretus Eusebii, cujus erat venerabile nomen apud Palæstinæ Episcopos, abiit in Palæstinam Hæresiarcha, atque "ibi, inquit Epiphanius [b], singulos Episcopos adire, ac prensare, adularique cœpit, "quò plures sibi suffragatores adjungeret". Brevique [c] & Eusebium Cæsareæ, & Patrophilum Scytopoleos, & Paulinum Tyri Episcopos inclinavit in patrocinium: hos alii secuti sunt non pauci: Arius quidem de sceleris sui successu ad Eusebium Nicomediensem scribens [d] gloriatur, etiam Theodoretum Laodiceæ, & Athanasium Anazarbi, & Gregorium Beryti, & Aëtium Liddæ Episcopos,

a *Epiphan. hæres. 69. num. 5.*

b *Ibidem. num. 4.*

c *Sozomen. lib. 1. cap. 14*

d *Theodor. lib. 1. Hist. Eccl. cap 4.*

Episcopos, verbo omnes Orientales, à se stare, alludens, ut credo ad Synodum quandam Palæstinæ Episcoporum [a], quos convocaverant præcipui ejus Patroni, à quâ facultatem obtinuerat conventus suos agendi in Palæstinâ, uti Alexandriæ consueverat. En quantam seriem approbatorum Episcoporum ostentet Hæresiarcha ad terrorem Ecclesiæ, cujus judicium formidabat.

Sed verò fraude hæreticâ approbationes abstulerat non paucas, & Episcopi subindè ipsi ab Alexandro edocti ignorantiam excusarunt, ut Epiphanius narrat [b].

Quin & approbationum fucos, atque umbras pro approbationibus populo vendidit ipse, ejusque socii. Sed de re totâ Alexandrũ Patriarcham audire juvet in eâ epistolâ, quam ad Episcopos dedit encyclicam [c]. "Ipsi, inquit, huc, & illuc, contra nos excurrentes, ad ejusdem nobiscum fidei collegas nostros "pergere cœperunt............ ut aliquos illorum "per sermonis lenocinia in erroris sui conta- "gionem pertrahant: & loquaciores ab eis lit- "teras flagitantes, coramque iis, quos in erro- "rem induxerunt, has legentes, faciunt, ut sine "lapsus sui pœnitentiâ maneant, assuefiantque "ad impietatem; quasi ejusdem secum senten- "tiæ, & opinionis habeant Episcopos. Quæ "autem pravè apud nos docuerunt; vel ege- "runt, quorumque gratiâ sunt expulsi, minimè "

a *Sozom. ib.*

b *Hæres. 69. num. 4.*

c *Lib. 1. hist. Eccl. cap 3.*

„ illis confitentur : ſed vel ſilentio premunt,
„ vel fictis ſermonibus , ſcriptisque obſcu-
„ rantes, deludunt .... undè fit, ut non-
„ nulli litteris eorum ſubſcribentes in Eccle-
„ ſiam illos recipiant: ex quo quidem maxi-
„ ma, ut opinor, comminiſtris noſtris, qui
„ hoc auſi ſunt, imminet infamia; quod ne-
„ que Apoſtolicus Canon id permittat, &
„ diabolicam adverſus Chriſtum operatio-
„ nem, quæ illis ineſt, vehementiorem ef-
„ ficiant".

Hîc animadverte, quàm nervosè Patriarcha perſtringat non pauca deteſtatione digniſſima. Hæreticos exhibet primùm quidem verborum lenociniis eblandientes Epiſcopis litteras approbatorias: tum verò, ſi minùs illud ſuccedat, veteratoriâ arte hoc agentes, ut diſſimulatos, obſcuratosque errores offerant, quibus illi ſubſcribant incauti: Hoc denique curantes flagitatione importunâ, ut approbationes obtineant minimè vulgares; ſed amplas, imò *loquaces*; adeòque Epiſcopis indignas: undè & ordini tam ſacro infamia creetur, & qui ſeducti pridem ſunt, iſta legentes confirmentur in impietate, nullâ pœnitentiæ curâ, atque ipſis impietatis autoribus Hæreticis creſcat audendi quidlibet diabolica libido.

Arianos inter, ut impietate, ſic & præſenti fraude ſpectabilis fuit Aſterius, cui hoc

hoc elogium ſcripſit Athanaſius [a]: "Aſterius Cappadox, Sophiſta multiceps, quoniam idolis in priori perſecutione immolaverat, & propterea nequiret in Clerum coaptari, de ſententiâ Euſebii opuſculum fecit, quale & ipſe volebat, & quod ſceleri immolationis magnitudine reſponderet". Opuſculum hoc eſt ex iis unum, quæ placere Epiſcopis vehementer optabat Aſterius, & Euſebiana factio. Rem his explicat verbis Sozomenus [b]. "Aſterius quidam Sophiſta Cappadociæ, cùm libros de Chriſtiana Religione opinioni Arii conſentientes ſcripſiſſet, per oppida concurſare, eoſque Epiſcopis demonſtrare cœpit". De eodem Aſterio Socrates [c]: "Libros, inquit, ſcribere agreſſus .... aſſiduè cum Epiſcopis, illiſque potiſſimum, à quibus Arii opinio minimè rejecta erat, verſabatur Aſterius, atque adeò ad eorum conventus accedebat, &c". Unum deerat Aſterio quominus placeret Epiſcopis; non erat Presbyter: hanc ob ob cauſam, ut ait Socrates [d], "Epiſcopi Hieroſolymis convocati Aſterii nullam rationem duxerunt".

[a] *Lib. de Synod.*
[b] *Lib. 2. cap. 31.*
[c] *Lib. 1. cap. 24.*
[d] *Ibidem.*

Sed illorum præcipuè Epiſcoporum nomina decretis ſuis ſubſcribi optabant Ariani, quorum fama eſſet integra, & nullâ vacillantis fidei ſuſpicione aſperſa. Ad Antiochenam Synodum promiſcuè convenerant Hæretici,

 atque

atque Orthodoxi Episcopi; Eusebianis hæresim suam sic dissimulantibus, ut convinci non possent [a]. Decreta nefaria extulit illa Synodus non pauca; sex, & triginta Eusebianis, favore Constantii, Orthodoxos numero & virtute præstantiores, vincentibus. Ne verò nullam speciem probæ Synodi præberent ad extremum quinque, & viginti canones condiderunt. Ecclesiasticæ disciplinæ studio, ut videbatur, re ipsâ verò ad confirmationem machinationum suarum, ea inserentes, quibus nullo negotio possent fœdissimè abuti. Canones illos, junctâ epistolâ Synodicâ, ad provincias omnes destinarunt. Epistolam diceres Sanctissimæ, ac generalis Synodi. Quos autem censes Episcopos epistolæ subscripsisse nomina? Hoc effecere suis technis Hæretici, ut eorum sola haberet nomina Episcorum epistola, quorum fides erat illustrior, minusque suspecta, inter quos excellebat Jacobus Episcopus Nisibita, fidei, sanctitatis, rerum gestarum, Scripturarumque splendore toti Orienti spectatissimus: procul inde ea nomina, quæ pridem Ecclesiæ fœtere cœperunt, Eusebii Nicomediensis, Acacii Cæsareensis, Maris Chalcedonensis, Patrophili Scythopolitani, Theogenis Nicæni, & aliorum, quos Ariana perfidia habebat antesignanos. Satis sibi Orthodoxi videntur Hæretici, si Episcoporum

[a] Baron. an. 341.

porum nominibus, qui Orthodoxi vel ſunt, vel audiunt vulgò, munita emiſerint decreta ſua.

Haud ſegniter fraudem eandem exercuere Pelagiani. Quid illi intentatum hîc reliquerint; poſtquam Pelagius ipſum auſus eſt tentare Auguſtinum? Non eſt obſcurum, quo tenderet, cùm epiſtolam dedit ad Auguſtinum adulatione pleniſſimam [a]. Sed hîc quidem deſperandum ſibi eſſe mox vidit, cum ab Auguſtino illud reſponſi accepit, quo moneretur, juſtitiam, quam in eo laudaverat, *non eſſe volentis, neque currentis, ſed miſerentis Dei.*

[a] *Aug. lib. de geſt. Pelag. cap. 26.*

Haud paulò felicius ei ceſſit fraus illa, quâ Palæſtinæ Epiſcopos Dioſpoli congregatos induxit, atque omnino fecit, non quidèm ut approbatores haberet; ſed ut gloriari apud imperitos de illorũ approbatione ſibi liceret. Gloriatus verò eſt impensè, atque Orthodoxis inſultavit, quatuordecim nomina Epiſcoporum pro vallo objiciens. Rem ſic explicuit Auguſtinus [b]. "Pervenit in manus noſtras nonnulla epiſtola, quæ ipſius Pelagii " diceretur, ſcribentis ad amicum ſuum quendam presbyterum, qui eum litteris, ſicut " eâdem epiſtolâ continetur, benignè admo- " nuerat, ne per ejus occaſionem ſe aliquis à " corpore Eccleſiæ ſepararet. Ibi inter cætera, " quæ inſerere longum eſt, nec opus eſt, "

[b] *Ibid. c. 30.*

ait

„ ait Pelagius ; Quatuordecim Epiſcoporum „ ſententiâ definitio noſtra comprobata eſt ; „ quâ diximus, poſſe hominem ſine peccato „ eſſe, & Dei mandata facilè cuſtodire, ſi ve- „ lit. Quæ ſententia, inquit, contradictionis „ os confuſione perfudit, & omnem in malum „ conſpirantem ſocietatem ab invicem ſepara- „ vit". Impiæ gloriationis vanitatem mox de- tegit Auguſtinus.

Neque verò effecit vaniſſima oſtentatio illarum approbationum, quominus Romæ, totoque Occidente damnaretur Pelagiana impietas. Sed neque animis ceciderunt Pelagiani. Clade iſtâ ferociores effecti Orientem univerſum deſignavere erroribus ſuis ſubjiciendum. Quo pacto cenſes auſum tam immanem aggreſſos? Parum fidebant amplæ legationi, quam ſuo carmine celebravit S. Proſper [a]: epiſtolam adjunxere impietate refertam; ſed octodecim Epiſcoporum authoritate ſuperbam [b]: hoc ſplendore approbationis ſperabant, perſtringendos oculos Orientis Epiſcopis; ſed ſpe ſuâ deluſi ſunt; ut conſtat ex Proſperi carmine: ac imprimis Conſtantinopoli Pelagianam hæreſim debellavit Atticus Patriarcha.

[a] *Carm. de ingrat. c. 12.*

[b] *Aug. lib 1 & 2. ad Bonif. ca p. 1.*

Nihilo ſegnius Orientis Hæretici ſollicitavere Occidentis Epiſcopos in causâ Neſtorii, & Eutychetis.

S. Cyrillo infenſiſſimus Joannes Antio- chenus

chenus Theodoretum Tyri, atque Andream Samosati Episcopos suscitaverat, ut contra Cyrilli canones scriberent. Scripsere [a] non suo tantùm; sed omninò Orientalium nomine; ne parum dignitatis afferret Nestorianæ impietati duorum modo Episcoporum approbatio.

[a] Cyril. epist. 30. ad Eulog.

Approbatione tantâ haud contẽtus Theodoretus Italiæ Episcopos præcipui nominis adeundos censuit [b], Mediolanensem, Aquileiensem, & Ravennatem: fassus id ipse de se est ad Joannem scribens Antiochenum: siluit verò, quid responsi tulerit. Sed hæc ille jam damnato Nestorio ab Ephesinâ Synodo.

[b] Baron. an. 431. n. 182

Cautior Eutyches præsidia hujusmodi spectavit, ne damnaretur. Tergiversatus vafer homo, ne se sisteret illi Synodo, quam coëgerat Flavianus Patriarcha, senium, invaletudinem, aliaque excusans, tempus distulit eo consilio, ut Archimandritarum autoritate armatus in judicium descenderet: interea enim scriptum à se librum ad Archimandritas misit, rogans, ut subscriberent. Sed eum quidem spes ista fefellit, ut ex actis constat illius Synodi.

At verò damnatus à Flaviano Eutyches, & tempestatem præsentiens ab Ecclesia sæviorem, præsidia censuit ampliora spectanda: scripsit [c] ad Italiæ Episcopos celebriores, nihil-

[c] Baron. an. 448. n. 55. an. 449. n. 70.

nihilque non egit, ut approbatores haberet insaniæ suæ. Factum verò est mirâ Dei providentiâ, ut & Petri Chrysologi Ravennatum Episcopi suffragium imploraret; unde magno Ecclesiæ bono extaret sanctissimi viri Epistola, quæ esset norma quædam, ad quam deceret Ecclesiæ Antistites ab hujusmodi Novatoribus sollicitandos futuris temporibus, exigere responsionem suam. Ipso epistolæ principio ostendit, se offendi graviter litigatione hæreticâ: "Tristis, inquit, legi tristes epistolas tuas......... Magi in cunabulis Deum mysticis muneribus con-
„ fitentur, & Sacerdotes, quis sit, qui virgi-
„ nali partu de Spiritu sancto natus est, dolen-
„ dâ interrogatione disquirunt?" Terret ho-
„ minem exemplo Origenis, lapsuque Nesto-
„ rii. Post omnia inculcat auream fidei regulam: quâ barathrum videt Hæreticorum.
"In omnibus, inquit hortamur te, frater ho-
„ norabilis, ut his, quæ à Beatissimo Papâ Ro-
„ manæ civitatis scripta sunt, obedienter at-
„ tendas; quoniam Beatus Petrus, qui in pro-
„ priâ sede vivit, & presidet, prestat querentibus
„ fidei veritatem. Nos enim pro studio pacis,
„ & fidei, extra consensum Romanæ civitatis
„ Episcopi, causas audire non possumus".
Habent ubique terrarum Episcopi formam epistolæ egregiam, quâ ad eos utantur, quos & novandi studium, & parùm propensa

pensa ad obediendum Apostolicæ Sedi voluntas, suspectos facit: quantò præstantior illa temerè festinatis approbationibus, quibus ad exitium multorum novatores utuntur!

Eutychetis & hæresim, & fraudem instruxere gnaviter Scytæ Pseudo-Monachi illi, qui simulato studio Chalcedonensis Synodi, odioque Nestorianismi, pariter, quod in se erat, Synodi ipsius fidem perditum ivere, & Eutychianam hæresim auctam blasphemiis Theophaschitarum invexere. Constantinopoli Romam confugerant ad Hormisdam Papam, non tam se probaturi Orthodoxos, quàm adversarios accusaturi de Nestorianâ hæresi [a]. Mox verò ubi suam senfere causam deductam in judicium, atque ad Lydiam Petram Romanæ Sedis explorandam fidem, aliò prospectarunt. Quò autem; nisi ad Episcoporum autoritatem, quâ Hormisdam percellerent, atque Ecclesiæ Petram scilicet commoverent? Legationem adornarunt ad Africanos Episcopos, fidei suæ rationem omnem scripto libello exprimentes, rogantesque, non suo tantùm, sed & Ecclesiarum omnium Orientis; imò universalis Ecclesiæ nomine, ut illis fidei suæ dogmatibus subscribere ne gravarentur: "Suppliciter, inquiebant, petimus, & obsecramus, quatenus diligenti examinatione ea, "
quæ

a Baron. an. 519. n. 111.

„ quæ inferius continentur, discutientes, ut
„ decet verissimos, & intrepidos Christi præ-
„ dicatores, scriptis sententiam vestram nobis
„ patefacere jubeatis: ut, si Catholicæ fidei
„ conveniens nostra apud vos (sicut nos con-
„ fidimus) fuerit expositio comprobata, fa-
„ cilè tantorum virorum, probatissimorum-
„ que Sacerdotum autoritate muniti, iniqua
„ loquentium ora obstruere valeamus".

Hîc verò fraudem hæreticam in petendis Episcoporum approbationibus insignem detexit Cardinalis Baronius [a]. " Astutè, inquit,

[a] *Ibid. num. 113. 114.*

illud excogitarunt, ut non eam proferrent,
„ quam Constantinopoli Legatis dedissent,
„ & Romæ Hormisdæ Papæ fidei confessio-
„ nem edidissent, quâ dicendum contende-
„ bant, non unam personam de Trinitate, aut
„ simpliciter unum de Trinitate esse passum in
„ carne; sed Verbi nomen apposuere ....
„ Non potuerunt Episcopi Africani ipsorum
„ ita proditam confessionem non probare,
„ ignari motæ in Oriente, & Romam dela-
„ tæ controversiæ, cujus nulla prorsus est
„ mentio apud Fulgentium, qui omnium no-
„ mine Collegarum ad ipsos rescripsit, nul-
„ lam suspicans sub verborum involucro oc-
„ cultatam fuisse blasphemiam".

Hæc enim verò illi Hæretici astutè, perfidèque; ut, quas ignari litium, incautique Episcopi daturi erant approbationes ex se innocuas,

nocuas, eas ipsi ostentarent, ut decora impietatis suæ; haud ignari, quas Hæretici approbationes obtinent doctrinæ etiam non suæ, sed quam mentiantur suam esse, eas doctrinæ hæreticæ approbationes facilè visum iri vulgò.

Africanos Episcopos rectè Baronius excusat novarum rerum, & controversiarum ignaros. Nobis verò certum sit, majori laude tardos hîc esse Episcopos, quàm faciles: summi verò periculi rem esse, ejus doctrinam ab illis approbari, quem constet esse, fuisseve refractarium in Ecclesiam ipsam, & Ecclesiæ Petram Apostolicam. Quantò securiùs illud usurparent Petri Chrysologi; *Nos pro studio pacis, & fidei, extra consensum Romanæ Civitatis Episcopi, causas audire non possumus.* Non hoc tribuant assentationibus hæreticis, ut se credant magni fieri ab iis, quos constat Ecclesiæ autoritatem supremam flocci facere. Martinus ipse Lutherus Episcoporum hostis, atque Episcopis Presbyteros sæpè adæquans [a], quàm suppliciter, demissèque Episcopos novitatum suarum approbatores efficere studuit? Extant hujus argumenti Lutheranæ epistolæ [b] ad Albertum Magdeburgensis, & Moguntinæ Ecclesiarum Archiepiscopum, ad Mersburgensem Episcopum Adolphum. Extant utriusque Pręsulis ad Lutherum responsoriæ epistolæ

a *In resolut. de potest. Papæ.*

b *Tom. 2. operũ Luth.*

stolæ saniora suggerentes consilia, & Petri Chrysologi epistolam proximè imitantes.

Sapientiorum Præsulum exemplo fraudem hæreticam detestare, quisquis amas Orthodoxam fidem. Non te commoveat Episcoporum longus ordo vel doctrinam approbantium, vel Autorem commendantium, si vel doctrinam reprobaverit Ecclesiæ autoritas summa, vel Autorem ipsum adversus Ecclesiam senseris contumacem. Non appellatur ab Ecclesiâ, aut Ecclesiæ supremo Judice ad privatorum Episcoporum tribunalia. *Quid etiam* (liceat cum Tertulliano [a] interrogare) *si Episcopus .... lapsus à regulâ fuerit? Ideò hæreses veritatem videbuntur obtinere? Ex personis probamus fidem, an ex fide personas?* Non erant Orthodoxi, qui cùm alibi, tum in ipso Magno Concilio Nicæno, Episcopi tam multi ab Ario steterunt. Episcopi erant Macedonius, Julianus, Nestorius, Dioscorus, Sergius, Pyrrhus, alii permulti ruinam in Ecclesiâ passi. Unus est in terris Episcoporum Episcopus, & Magister [b] *Beatus Petrus, qui in propria sede vivit, & præsidet, præstans quærentibus, fidei veritatem*, quo refragante nulla securos faciet Episcoporum approbatio.

[a] *Lib. de præscript. cap. 1.*

[b] *S. Chrysologus supra.*

FRAUS

FRAUS VII.

Invictam fidei custodem Romam, ac Romanos blanditiis, omnique fraudis genere circumvenire.

NUllam habet Ecclesia arcem tam inexpugnabilem, quàm non sperent Hæretici se expugnaturos. Hannibale dementiores Romæ portas quatere decretum habent, & impietatis vexillum in mediâ locare suburrâ.

Constat sanè votorum summam fuisse Romam antiquioribus Hæreticis Valentino, Cerdoni, Marcioni. Prima Romæ cura erat Orthodoxos simulare, & quædam pœnitentiæ ostenta facere; hæresim verò nonnisi furtim spargere: si quando tenerentur in flagitio, atque ejicerentur, mox Romam respectare exomologesim postulantes, semperque pejores fieri[a].

Marcioni præcipuè successit audacia, cujus hæresim ait Epiphanius[b] suo tempore etiam Romæ, atque in Italiâ repertam. Successu elatus Hæresiarcha ausus est, non solùm communionem; sed & principem quemdam dignitatis locum inter Romanos postulare

a *Baron. an. 146. ã. 155 an. 167.*

b *Heres. 24.*

postulare, à quâ spe dejectus, ut idem narrat Epiphanius[a], "Vehementius excanduit, ac „ superbiâ, invidiâque percitus, Ecclesiam, „ ait, vestram ego dissociabo, in eamque schis- „ ma sempiternum immittam; quod ille reve- „ rà, nec mediocre quidem, injecit". Sed, Deo propitio, habuit Ecclesia per id temporis superstites Apostolorum discipulos, in quibus S. Polycarpus, ut Iræneus refert[b], Romam accurrens sedente Aniceto objecit sese hæretico furori, ipsiq; *Marcioni aliquādo occurrenti sibi, & dicenti*; COGNOSCE NOS, *respondit*, COGNOSCO PRIMOGENITUM SATANÆ. Neque minùs strenuè Romani Pontifices *Orbis terrarum colubrum*, ut Epiphanius appellat[c], contriverunt.

a *Ibidem*

b *Lib. 3. c. 3*

c *Hæres. 42.*

" Sed observatione illud magnopere dignum est, inquit Baronius[d], cariosos atque „ putentes Hæresiarchas, non eò usque de- „ mentiæ pervenisse, ut Apostolicæ Sedis cul- „ men omninò contempserint, apud quam „ submissâ cervice ferreâ sæpè facerent exho- „ mologesim.......... Non modò Valentinus, & „ Cerdon; sed & Marcion, & alii Hæresiarchæ „ fictè, vel verè Palinodiam cantaturi, non „ apud aliam Sedem, quàm Romanam, id sibi „ faciendum putaverunt; quod in confesso „ esset, etiam apud Hæreticos Ecclesiæ Ca- „ tholicæ perduelles, eam esse Ecclesiæ totius „ Metropolim, &c".

d *An. 155. num. 5.*

Nihil

Nihil potiùs habuit Novatus, quàm hancce Metropolim evertere, Ecclesiam eversurus. "Idem est Novatus, inquit Cyprianus [a], qui apud nos primum discordiæ, & schismatis incendium seminavit .... & cum suâ tempestate Romam quoque ad evertendam Ecclesiam navigans similia illic, & paria molitus est, à Clero portionem plebis avellens, fraternitatis benè sibi cohærentis, & se invicem diligentis concordiam scindens. Planè quoniam pro magnitudine suâ debeat Carthaginem Roma præcedere, illic majora, & graviora commisit".

[a] Epist. 49.

Paria tentavit nefandi schismatis Autor, & caput Felicissimus, magnâ comitatus schismaticorum catervâ [b], de quibus Cyprianus, [c] "Romam, inquit, cum mendaciorum suorum mercibus navigaverunt; quasi veritas post eos navigare non posset, quæ mendaces linguas rei certæ probatione convinceret .... Navigare audent, & ad Petri Cathedram, atque ad Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est, à schismaticis, & profanis litteras ferre, nec cogitare, eos esse Romanos, quorum fides Apostolo prædicante, laudata est, ad quos perfidia non possit habere accessum".

[b] Baron. an. 255. n. 12.

[c] Epist. 55.

Nihil humile meditati sunt Donatistæ: æmulam Romanæ Ecclesię Synagogam Satanæ in ipsâ urbe Româ fundare, atque erigere

ſunt conati; ut ex iis conſtat, quæ contra Parmenianum ſcripſit Optatus Milevitanus[a]. Romanam Sedem occupante Sylveſtro, Romam miſerunt Victorem quemdam Garbienſem, qui erraticum in Urbe gregem Epiſcopus regeret. Victori ordine continuo ſucceſſere Donatiſtæ Epiſcopi quinque, ad uſque illud temporis, quo contra Parmenianum ſcripſit Optatus. Eodem intervallo temporis, quinque Sylveſtro Succeſſores in Petri Cathedrâ numeravit Eccleſia Romana. Sylveſtro igitur Victorem, Marco Bonifacium, Julio Eucolpium, Liberio, & qui Liberii Pontificatum interpolavit, Felici, Macrobium, Damaſo Lucianum, Siricio Claudianum, æmulos Epiſcopos, verius Romanorum Pontificum ſimios oſtentarunt. De his verò Parmenianum egregiè exagitavit Optatus. Sed nos deſperatiſſimam dementiam mittamus Donatiſtarum.

a Lib. 2.

Majori artificio Romam tentavit Pelagius. Primum quidem bellum meditatus contra divinam gratiam, ipſamque Eccleſiam, Romam ſibi delegit, ubi deliteſceret lupus ovi ſimilis, & clàm experiretur in ipsâ Urbe, quid poſſet, Orbem inde ſuâ ſpe devorans; ſi hæc principia ſe darent ex voto. Hæreticâ ſanctitate, ſeu hypocriſi ſuâ hoc effecit, ut etiam ab Auguſtino laudaretur[b]. Sed in iſtâ Urbis luce, & frequentiâ diffi-

b Supra 1. p. fraude 1.

cilè

tilè fuit latere diu, nihilque hæreticæ fraudis ſubolere ſagacioribus viris. Hæreſim tandem & Hieronymus, & Auguſtinus quaſi manu prehenſam detexere, & protraxere in publicum.

Attamen profectò adhæſiſſe quiddam atræ picis in ipsâ Urbe quibusdam, fama fuit. Certè Auguſtinus ad Innocentium ſcribens [a]: "Audivimus, inquit, eſſe in Urbe Româ, ubi ille diu vixit, nonnullos, qui diverſis cauſis ei faveant: quidam ſcilicet; quia vos talia perſuaſiſſe perhibent; plures verò, qui eum talia ſentire non credunt". Horum quidem rationem fuiſſe periculoſiorem liquet; quæ eò tenderet, ut Hæretico liceret impunè errores proſeminare tectos modò, ſubdolèque involutos. Hujus generis eſſe potuerunt illi de Clero Romano [b], qui damnato Pelagio ad Imperatorem Honorium abivere conqueſturi de Zoſimo Papâ, quos hic Ravennam ſcribens ad Presbyteros, & Diaconos declaravit communione fidelium ſubmotos, ut rebelles, omniumque perturbatores.

Cæterum dubitatio eſt nulla, quin ſupra modum protervè & ſupra verum gloriati ſint Pelagiani de Romano Clero ſibi favente, atque imprimis de Romano Presbytero primi nominis Sixto, quem deinde ad ſumm. Pontificatus honorem ſua virtus evexit. Didicit

a *Epiſt.* 95.

b *Baron. an.* 418. *n.* 19.

ibi quidem Sixtus, vir apprimè bonus, atque Orthodoxus, didicerunt alii de Romano Clero, quam ſit cautè agendum cum Hæreticis, ne qua ſpecies favoris præbita videatur. Hæreticis ſi quid urbanius ſit locutus, ſcripſeritve illuſtris vir nominis, & dignitatis, hunc ſuæ favere factioni dicent, hunc Patronum altè extollent. Si quid etiam miſcuerit, unde intelligant, hoc acturum, ne condemnentur ipſorum errores, cum ſperet commodiori viâ poſſe occurri malis, hoc ſatis eſt cauſæ perfidis hominibus, ut illum adſcribant ad ſuum numerum, atque errores ipſos probare jactent.

Hæc ipſa uſu comperere illi de Romano Clero, de quibus S. Auguſtinus ad Bonifacium in hæc verba ſcripſit [a]: "Pelagiani ſpe
Lib. 2. c. 3.
" falsâ putaverant, novum, & execrabile dog-
" ma Pelagianum, vel Cœleſtianum perſuaderi
" quorumdam Romanorum Catholicis men-
" tibus poſſe: quando illa ingenia, quamvis
" nefando errore perverſa, non tamen con-
" temptibilia, cum ſtudioſè corrigenda po-
" tius, quàm facilè damnanda viderentur, ali-
" quantò lenius, quàm ſeverior poſtulabant
" Eccleſiæ diſciplina, tractata ſunt .... Sine
" ullo vitio peccati originalis hominem naſci
" cùm Cœleſtius in ſuo libello poſuiſſet inter
" illa dumtaxat, de quibus ſe adhuc dubitare,
" & inſtrui velle confeſſus eſt, in homine acer-
rimi

rimi ingenii, qui profectò, si corrigetur, "
plurimis profuisset, voluntas emendationis, "
non falsitas dogmatis approbata est". Hoc "
satis erat, ut Clerum Romanum sibi consensisse, longè, latèque dissiparent Pelagiani.

Sed imprimis bonos omnes affligebat fama pessima, quæ de Sixto Presbytero inter Romanos magni nominis percrebuerat. Ad Sixtum scribens Augustinus [a]: "Quod fatendum est, inquit, Caritati tuæ, tristes eramus nimis, cum fama jactaret, inimicis gratiæ Christi te favere, [b] Te inimicorum gratiæ Dei magni momenti patronum esse". Indignissimæ calumniæ occasionem præbuerat lenitas illa erga Hæreticos, quam verbis Augustini explicui.

[a] Epist. 105.
[b] Ep. 104.

Sed verò Sixtus ipse calumniam egregiè diluit, quando à Zosimo Papâ latâ sententiâ in Pelagium, atque Cœlestium, primus de Clero surrexit, atque anathema Pelagio, & Cœlestio altè insonuit, moxque ad Aurelium Carthaginensem eam scripsit epistolam de suo in Pelagianam impietatem odio, quam magnâ voluptate legerunt, & descripserunt, & quàquà versum miserunt Africani Episcopi: neque his contentus spiritum concipiens, quem maximum capere animo poterat, ampliori lucubratione hæresim universam, ejusque autores, & sectarios debellandos suscepit. Ac de his quidem Sixto Augustinus

[a] Epist. 104. 105. geminâ epistolâ [a] est gratulatus, gaudiumque incredibile & suum, & bonorum omnium testificatus est. Sic decebat Romanum Presbyterum, sinistrè de se opinandi occasione prebitâ, cum bonâ ille quidem mente; sed tamen, ut Augustinus explicuit [b], *Aliquantò lenius, quàm severior postulabat, Ecclesiæ disciplina, tractasset ingenia nefando errore perversa.*

[b] Lib. 2. ad Bonif. c. 3.

Nihilo segnius propinquiores nobis ætate Hæretici hoc egere, ut Romam votis suis haberent obsequentem. Mitto Hæreticum Arnaldum impotentius furentem; de quo Guntherus Poëta illi coævus sic olim cecinit.

.... Assumpta sapientis fronte, diserto
Fallebat sermone rudes ....
Ille Petri solidam cupiens convellere Petram;
Vt caput infirmum per cæteramembra dolorem
Diffundit, Romana petit temerarius ausu
Mœnia sacrilego, totamque nefarius Vrbem
Inficit impuri corruptam semine verbi:
Et populi tantas in Clerum concitat iras,
Vt penitus nullum summo deferret honorem
Pontifici.

Abailardum habuerat Magistrum Arnaldus. Suam esse Romam confidentissimè gloriabatur ille, ut refert S. Bernardus non semel [c]. "Magister Petrus Abailardus, inquit, „ intus Herodes, foris Joannes, totus ambiguus

[c] Epist. 193.

guus .... securus est tamen, quoniam "
Cardinales, & Clericos curiæ se discipulos "
habuisse gloriatur, & eos in defensione prę- "
teriti, & præsentis erroris assumit, à quibus "
judicari timere debuit, & damnari. Si quis "
Spiritum Dei habet, illius versiculi recorde- "
tur, *Nonne qui oderunt te, Domine, oderam,* "
& super inimicos tuos tabescebam? Liberet "
Deus per vos, & per cæteros filios suos Ec- "
clesiam suam à labiis iniquis, & à linguâ do- "
losâ". Hæc ille ad Ivonem Cardinalem scri- "
bens.

Confidentiam Abailardi, quorundam Romæ patrocinium sibi pollicentis, magis explicuit Bernardus in eâ epistolâ, quam nomine quatuor Episcoporum ad Innocentium scripsit [a]. Impium de SS. Trinitate librum confidebat Hæreticus Patronos Romæ inventurum: "Surrexit, inquit Bernar-
dus, à mortuis liber ille, & cum eo multo- "
rum hæreses, quæ dormierant surrexerunt, "
& apparuerunt multis. Jamjam extendit pal- "
mites suos usque ad mare, & usque ad Ro- "
mam propagines ejus. Hæc gloriatio homi- "
nis illius, quod liber suus in Curiâ Romanâ "
habet, ubi caput suum reclinet: hinc con- "
firmatus, & confortatus est furor ejus". Sed "
bene vertit Ecclesiæ suæ Deus, bene ipsi Abailardo, quod suæ ipsum spes fefellerint.

[a] *Epist.* 191.

Quid

Quid autem si liber, cui venenum insperſere ſubtiliter, cenſuram Apoſtolicam evaſerit? Hic audias Hæreticos de Eccleſiâ ipsâ victoriam canentes. Neſtorianos quidem hâc gloriâ incenſos, cum negarent, majores ſuos ab Eccleſiâ damnatos, ſic repreſſit Leontius Byzantinus[a]: "Hoc, ô boni viri, » non ex innocentiâ reportarunt, ſed ex ni-» mio ſtudio, quod, ut laterent, adhibuerunt: » non enim patiebantur efferri in vulgus im-» pietatem ; quia neque ſibi tutum eſſe ſcie-» bant.......... Hâc ratione, & viâ Apollinarius, » tanquam quidam ſplen crevit, in totius cor-» poris ægrotationem, magnitudinem præter » naturam capiens. Eodem exemplo poſſum » veſtra conferre. Studium Patrum in maxi-» mè neceſſariis occupatum fecit, ut veſtræ » impietatis parentes, & autores laterent; præ-» ſertim cum in iis, quæ ad Trinitatem perti-» nebant, fingerent, ſe unà cum ipſis adverſus » hoſtes Trinitatis pugnare, & eo modo be-» nevolentiam ſimularent, ſpecie, ac ſimula-» tione idem ſentiendi latebras ſibi præparan-» tes: Difficillima enim res ad deprehendendũ » malitia ſimulatione benevolentiæ tecta".

[a] Lib. 3. contra Neſtor & Eutych num. 42.

Fax ipſa, unde Lutheranum extitit incendium, vulgò nota eſt: ſed de primâ veluti ſcintillâ ferè tacetur: hanc dicere liceat lucubrationem quamdam Reuclini legum Doctoris, politiori litteraturâ excultiſſimi viri, quæ

quæ cùm de hæreſi expoſtularetur à Fidei Quæſitore, patronos invenit & plures, & graviores, quàm Eccleſiæ expediret.

Rem ſic exponit Annalium ſcriptor [a]: "Diſcuſsâ Reuclini causâ Theologi, ut invidi calumniatores, malè audierunt in Aulâ Cæſarea .... Tum verò apud ſubſellia Apoſtolica non defuere, qui eũdem Reuclinum tuerentur, accuſatoresque, ut iniquos, deterrerent. Inde verò Cenſorum fidei autoritas ita obſolevit, ut exorientem poſteà Lutherum Hæreſiarcham comprimere non potuerint: nam cùm Theologi illum judicio cœpiſſent perſequi, univerſa mox Rhetorum, ac Poëtarum cohors malevolentiam ex Reuclinianâ causâ imbutâ in Theologos, illi ſe improvidè conjunxit. Atque hinc conflatum eſſe turbinem Lutheranum, qui adeò Eccleſiam Dei concuſſit, affirmat conſtanter Albertus Pius". Atque hæc quidem improvidi tantorum malorum peccavere, apud Apoſtolicã Sedem Reuclino faventes, in quibus & ſe fuiſſe Albertus idem fatetur [b]: "Non enim, inquit, illius cauſæ expers fui; imò & meâ erga viros doctos cõſuetudine, non vulgariter favi Reuclino apud Leonem X. Põtificem Maximum". Hec illi ſerò licuit deplorare.

Adnotemus denique, Romam, non Romæ ſolùm; ſed & extra Romam Hæreticos ſibi deſtinare ſubjiciendam. Huc illi conatus

ten-

[a] Raynal. an. 1516. n. 85

[b] In reſpõſ. I. cõtra Eraſm.

tendunt quibus Romanæ Sedis Legatos, ac ministros suis dolis circumvenire, suisque adscribere partibus numquam non studuerunt. Pauca de multis exempla videamus.

Quid non egere Dioscorus Alexandrinus, ejusque partiarii, ut missos à Leone Papâ ad Ephesinam Synodum II. Legatos Julianum, Renatum, atque Hilarium impietati suæ consentientes haberent? Nullis minis, blanditiisque est parcitum. Sed invictum stetit robur Apostolicum.

Magis ex voto fraudes successere Acacio Constantinopolitano Patriarchæ. Misenum, atque Vitalem Episcopos Constantinopolim destinarat Felix Papa causam fidei acturos apud Zenonem Imperatorem [a], atque imprimis fidei proditorem Acacium Patriarcham Apostolico judicio subjecturos. Constantinopolim ingressos vis impia excepit: Litteris Apostolicis exuti, compedibusque ornati in carcerem tracti sunt, durissimèque vexati. Errabat graviter Zeno Imperator, hoc pacto sperans frangi posse Apostolica pectora: artes omnes, fraudesque hæreticas meliùs callebat Acacius. "Successit, inquit Baronius [b], violentiæ fraus: illâ valuit „ tanquam Leo furens perfidus Imperator; istâ „ prævaluit, tamquam drago insidians, Aca- „ cius ejus Civitatis Episcopus, qui pellexit „ blanditiis, invitavit illecebris, mellitisque sermonibus

[a] Baron. an. 483. ann. 484.

[b] An. 484. num. 3.

sermonibus emollivit tamquam ferrea pe- "
ctora Sacerdotum, sicque liberari eos vincu- "
lis fecit, ut graviori catenâ prævaricationis "
astringeret: sic exemit è carcere, ut in pro- "
fundum impietatis barathrum conjiceret...... "
O indignum facinus! ô portentum! Cessit "
Legatorum Apostolicus vigor, enervata "
est constantia Sacerdotum......... cùm contra "
mandata Felicis Papæ, ut Acacio communi- "
carent, inducti sunt, utque audirent absque "
contradictione recitari in Ecclesiæ Sacris "
Diptychis nomẽ nefandi hominis Petri Hę- "
retici Alexandrinæ Ecclesiæ invasoris". Hęc "
ille, mox exponens [a] quàm nihil ad rei sum- [a] *Ibid. n. 12*
mam promoverit Acacius hæreticâ istâ fraude; quando Romanæ Ecclesiæ, Fideique suum constitit decus & gloria, Miseno, atque Vitali in solemni Synodo exutis Episcopatu, ipso quoque Acacio hæreseos condemnato.

Nihilo felicior Photius Nicolai Papæ Legatis Rodoaldo, atque Zachariâ ad condemnandum Ignatium Patriarcham, non tam inductis, quàm compulsis, ut ad Michaëlem scribens Nicolaus Papa expostulat [b]. [b] *Epist. 9*

Minimè omnium fraus successit Arnaldo Hæretico Romæ damnato, Romamque expugnare paranti in Guidone Romanæ Sedis in Galliâ Legato. Epistolâ egregiâ S. Bernardus Legatum cõmunivit [c] adversus fraudem [c] *Epist. 196*
hæreticam

„ hæreticam : "Arnaldus, inquit, de Brixia,
„ cujus converſatio mel, & doctrina venenum;
„ cui caput columbæ, cauda ſcorpionis eſt.......
„ fertur eſſe vobiſcum. Videte, quæſo, nè ve-
„ ſtrâ autoritate plus noceat. Nam cùm & ar-
„ tem habeat, & voluntatem nocendi, ſi ac-
„ ceſſerit favor veſter, erit funiculus triplex,
„ qui difficile rumpitur, ſupra modum, ut
„ vereor, nociturus .... Vir prudens cau-
„ tus erit, non tranſgredi præfinitum nume-
a 2. Tim. 4. rum ab Apoſtolo, qui ait[a] : *Hæreticum bo-*
„ *minem poſt unam, & ſecundam correptionem de-*
„ *vita, ſciens; quia ſubverſus eſt, &c.* Alioquin
„ familiarem habere, & frequenter admittere
„ ad colloquendum, nè dicam, ad convivan-
„ dum, ſuſpicio favoris eſt, & inimici homi-
„ nis fortis armatura. Securè annuntiabit, &
„ facilè perſuadebit, quæ volet domeſti-
„ cus, & contubernalis Legati Apoſtolicæ Se-
„ dis. Quis enim à Latere Domini Papæ mali
„ quippiam ſuſpicetur? Sed etſi in manifeſto
„ perverſa loquitur, quis ſe facilè opponere
„ audeat veſtro collaterali"?

Quoniam verò ſucceſſum fraudis tantæ ſæpiùs deſperant Hæretici, familiarem ſibi fecere eam impoſturam, quâ conſentire ſibi Apoſtolicos Miniſtros mentiuntur. Sic Philippum Presbyterum legatione Pontificiâ in Epheſinâ Synodo prænobilem, traduxere Neſtoriani[b] confictâ ejus nomine epiſtolâ, quæ

b Baron. an. 433. n. 4.

quæ narrabat Sixtum Pontificem ægro animo tulisse Nestorii damnationem. Sic Monothelitæ S. Maximo imponere sunt conati, ut refert ejus discipulus Anastasius[a]. "Quid habes facere, inquiebant, cùm Romani Bizantiis uniantur? Nam ecce heri venerunt Apocrisarii Romæ, & crastino die Dominico communicant cum Patriarchâ". Stolidissimè hæc illi apud Maximum hæreticis fraudibus exercitum toties. "Dixit Maximus: qui venere, præjudicium Sedi Romanæ, tametsi communicent, non faciunt. Nec mihi unquam persuadeo, Romanos his, qui hîc sunt, communicaturos, nisi confiteantur, Dominum nostrum, ac Deum secundùm utramque naturam".

a *Baron. an. 657. n. 15.*

Invicti Athletæ exemplo facessere jubeamus mendacissimos mortales, vanissimèque gloriosos; si quando nobis Romana Patrocinia increpent. Illis verò occinendus est Micheæ locus[b]; *Desperata est plaga Samariæ, quia venit usque ad Iudam: tetigit portam populi mei usque ad Hierusalem.* Placeat Hieronymus Micheam interpretans: "Non solùm Samaria peccavit; sed iniquitatem, & errorem suum in Judæ quoque portas voluit introducere: undè dicitur de eâ: *Venit usque ad Iudam, & tetigit usque ad portas populi mei, usque ad Hierusalem.* Portas, inquit, tetigit..... cæterùm Urbē mediam intrare non potuit".

b *Cap. 1.*

FRAUS

FRAUS VIII.

Professione obedientiæ erga Christi Vicarium Pontificem Romanum hoc agere, ut Romanum Pontificem sibi habeant obsequentem.

VAticinantem audivimus Micheam de Samariæ impietate; *Venit usque ad Iudam, & tetigit usque ad portas populi mei, usque ad Hierusalem.* Cœterùm ut Hieronymus observabat, *Portas illa quidem tetigit, sed Vrbem mediam intrare non potuit.* Vide autem confidentiam fatuam. Non modò de Urbe mediâ intrandâ non desperant Hæretici, sed ipsam Urbis, & Orbis Christiani animam immortalem, quam sustentat, agitatque Divinus Spiritus, exitio destinant, nihil non agentes, ut Vicarium Christi Pontificem Romanum suis partibus adjungant.

Non una est fraus, quâ tentant facinus tam immane: usitatissima ea est, quam specie quâdam obedientiæ sic vestiunt, ut non sit observatu facilis.

Malè habebat Pelagium sententia gemini Concilii

Concilii Africani contra ſe lata: eam verò ſciens pendere ex judicio Pontificis Romani, nihil non egit, hunc ſibi ut conſentientem haberet, aut habere videretur. Machinam potiſſimam obedientiâ hæreticâ inſtruxit. Quamdam fidei confeſſionem, ſimulque litteras ad Innocentium dedit, quem ſupereſſe in vivis credebat, in quibus, ſi ipſas modò in ſe ſpectares, nihil requireres viro dignum Orthodoxo, atque obedientiſſimo Eccleſiæ Filio; uſque adeò, ut confeſſio quidem illa Pelagii viſa diu fuerit, etiam D. Thomæ [a], S. Hieronymum non dedecere, ejuſque ad Damaſum epiſtola ſit exiſtimata. Undè hodieque inter epiſtolas Hieronymo quondam adſcriptas nono tomo, extat decima ſeptima hoc titulo, *Symboli explanatio ad Damaſum*: eſſe verò reipsâ confeſſionem Pelagii ad Innocentium miſſam, redditam verò Zoſimo, efficacibus argumentis probarunt eruditi [b].

[a] 2.2.q.11. art.2.ad 3.

[b] Vide Barõ. Ann. 417. num. 31.

Porrò Confeſſionem univerſam Hæreticus gemmâ ſignavit apprimè Catholicâ, his verbis concludens. "Hæc fides eſt, Papa Beatiſſime, quã in Eccleſia Catholica didicimus, " quamque ſemper tenuimus, & tenemus. In " quâ ſi minùs peritè, aut parùm cautè aliquid " fortè poſitum ſit, emendari cupimus à te, qui " Petri & fidem, & Sedem tenes. Sin autem " hęc noſtra Confeſſio Apoſtolatus tui judicio "

compro-

„ comprobatur, quicumque me maculare vo-
„ luerit, se imperitum, vel malevolum, vel
„ etiam non Catholicum, non me Hæreticum
„ comprobabit". Quid cogitari potest obedientius hoc Hæretico?

Obstupuit Zosimus, gaudioque exsiluit lectâ Confessione, litterisque Pelagii; nec moratus est, quin Africanos Episcopos gaudii sui certiores faceret[a]: "Litteras, inquit,
„ suas Pelagius, purgationem continentes a-
„ bundantissimè, misit......... Utinam ullus ve-
„ strûm, Dilectissimi Fratres, recitationi lit-
„ terarum interesse potuisset! Quod Sancto-
„ rum Virorum, qui aderant, gaudium fuit?
„ Quæ admiratio singulorum? vix fletu qui-
„ dam se, & lachrimis temperabant. Tales
„ etiam absolutæ fidei infamari potuisse? Est
„ nè ullus locus, in quo Dei gratiâ, vel adjuto-
„ rium prætermissum sit? &c".

Non perindè vana, atque falsa lætitia fuit. Non poterat non videri rectè sapiens Pelagius litteras, Confessionemque æstimanti, mentis verò pravæ dolos haud pernoscenti satis. Attamen hominem à decessore Innocentio, & Africanis Conciliis damnatum cavit Zosimus, ne restitueret Ecclesiæ communioni: imò causâ totâ, ut merebatur, discussâ plenius, novâ sententiâ condemnavit[b]. "Fefellerat, inquit Augustinus, judicium Palæstinum: Romanam Ecclesiam fallere

a Baron. ex cod. Vatic. an. 417 num. 25.

b Lib. d. pec. orig. cap. 8.

fallere usquequaque non potuit; quamvis & hoc fuerit utcumque conatus. A Zosimo Cœlestius, atque Pelagius repetitâ autoritate damnati sunt". Atque ibi finem habuit Pelagii obedientia, ubi desperatum est, fore, ut Pelagii votis obsequeretur Pontifex. "a Lib. 2. ad "Bonif. c. 3.

Magistri sui fraudem didicerat omnem Cœlestius. Gemino Concilio Carthagine damnatus non dubitavit sese Romano Pontifici Zosimo sistere, libellumque offerre, cujus speciosum exordium hoc visebatur [b]: *Si fortè, ut hominibus, quispiam ignorantiæ error obrepserit, vestrâ sententiâ corrigatur.* His non acquiescens Zosimus variè interrogavit hominem [c]: *Cognovisti, quales litteras dederit Sedes Apostolica ad Fratres, & Coëpiscopos Africanæ Provinciæ? Damnas ea omnia, quæ damnavimus, & tenes ea, quæ tenemus?* Quid ad hæc Hæreticus? *Beati Papæ Innocentii litteris, quas appellabat Zosimus, non est ausus obsistere: imò se omnia, quæ Sedes illa damnaret, damnaturum esse promisit.* [d] *Beati Papæ Innocentii se litteris consentire professus est.* Quid superesse credas; nisi ut absolvatur Cœlestius? Non absolvit Zosimus; etsi descendisse ad quamdam lenitatem non sit obscurum. Verùm, ut Augustinus interpretatur [e], " Quidquid intereà lenius actum est cum Cœlestio, servatâ dumtaxat antiquissimæ, & "

[b] August. lib. de pec. orig. cap. 7.

[c] Paulin. lib. gratulat. ad Zosim

[d] Lib. de pec. orig. c. 7. l. 2. ad Bonif. cap. 4.

[e] Ibid. c. 3.

robuſtiſſimæ fidei firmitate, correctionis fuit clementiſſima ſuaſio; non approbatio exitioſiſſima pravitatis".

Exitum verò & Pontificiæ lenitatis, & ſubmiſſionis hæreticæ exponit Auguſtinus his verbis [a]; in Cœleſtio "Voluntas emen-
» dationis, non falſitas dogmatis approbata
» eſt: & propterea libellus ejus Catholicus di-
» ctus eſt. .... Hoc in illo factum eſſe pu-
» tabatur, quod ſe litteris Beatæ memoriæ Pa-
» pæ Innocentii, quibus de hâc re dubitatio
» tota ſublata eſt, conſentire reſpondit. Et
» hoc ut plenius, & manifeſtius in illo fieret,
» expectabatur venturis ex Africâ litteris, in
» quâ Provinciâ ejus calliditas aliquantò evi-
» dentius innotuerat. Quæ Romam litteræ
» poſteaquam venerunt, id continentes, non
» ſufficere hominibus tardioribus, & ſolicitio-
» ribus, quod ſe generaliter Innocentii Epiſ-
» copi litteris conſentire fatebatur; ſed apertè
» eum debere anathematizare, quæ in ſuo li-
» bello prava poſuerat; ne, ſi id non feciſſet,
» multi parum intelligentes, magis in libello
» ejus illa fidei venena à Sede Apoſtolicâ cre-
» derent approbata; propterea, quod ab illa
» dictum erat, eum libellum eſſe Catholicum,
» quàm emendata propter illud, quod ſe Papæ
» Innocentii litteris conſentire ipſe reſponde-
» rat. Tunc ergo, cum ejus præſentia poſce-
» retur, ut certis, ac dilucidis reſponſionibus,
vel

[a] Ibidem.

vel astutia hominis, vel correctio dilucesse- "
ret, & nulli ambigua remaneret, se subtraxit "
& negavit examini". Exitum vides obe- "
dientiæ hæreticæ. Atqui Innocentii Constitutionem toto animo recipiebat. Innocentii litteris consentiebat. Fabula hæc est Hæreticorum obedientiam amantium in toto quodam genere spectatam. Fraudem denique perspexit Zosimus, suamque Apostolicæ Sedi, & Catholicæ fidei severitatem vindicavit.

Ingenium fuit idem Eutychetis Hæresiarchæ. Victus, damnatusque è Flaviani Synodo discesserat, haud improvidus gravioris fulminis in caput suum cudendi. Quid ageret? Epistolã scripsit ad Leonem Papam omnibus observantiæ notis refertam. Non extat illa; sed ex litteris Leonis ad Flavianum, aliosque datis constat, eam omnino spirasse obedientiam, promptamque voluntatem corrigendi, & revocandi sese, sicubi errasse judicaretur. Quam seriò hæc scripserit, eventus docuit. Hæreticum vis obedientem Apostolicæ Sedi? Spem facito, fore, ut liceat esse Hæretico impune, atque illâ approbante: erit enim obediens tam diu.

Recentiora videamus. Obedientiam Wiclessi erga Apostolicam Sedem celebravit Sanderus [a]. Malè audire cœperat in Angliâ: vix declinaverat severitatem Judicum Episcoporum,

[a] *De Visib. Monarch. lib. 7.*

coporum, qui Lambathi in Synodum convenerant: gravius verò sibi metuens à Romanis Judicibus, fraudem hæreticam expedivit ea scribens ad Urbanum VI. Pontificem, quibus ad syncerissimę obedientiæ professionem nihil deesset: "Gaudeo, aiebat, planè
„ detegere cuicumque fidem meam, & spe-
„ cialiter Romano Pontifici, quia suppono,
„ quod, si sit Orthodoxa, ipse fidem meam
„ humiliter confirmabit: &, si sit erronea, e-
„ mendabit.......... Volo humiliter etiam per
„ mortem, si oporteat, emendari: & si in per-
„ sonâ propriâ ad votum potero laborare, vel-
„ lem præsentiam Romani Pontificis humili-
„ ter visitare". Hæreticum fuisse hoc omne studium obedientiæ, tunc patuit, cùm desperans Hæresiarcha, se placiturum Apostolicæ Sedi, in Urbanum ipsum, ut Antichristum perfidum, ac detestabilem insurrexit [a]; quo nomine Thomæ Waldensi pœnas dedit meritissimas [b].

a *Wicleff. art. 5.*

b *Tom. 1. cap. 49.*

Fraudem omnem Wicleffi expressit, auxitque Lutherus, qui cùm Heidelbergâ redux, ubi de Indulgentiis disputaverat, pessimè oleret omnibus bonis, nihil potiùs habuit, quàm suam profiteri observantiam erga Romanum Pontificem. Scripsit igitur suarum Thesium analysim prolixam, & dedicavit Leoni Pontifici: Hîc verò "Beatissime
„ Pater, inquit, prostratum me pedibus tuæ
Bea-

Beatitudinis offero, cum omnibus, quæ sum & habeo. Vivifica, occide, voca, revoca, approba, reproba, ut placuerit. Vocem tuam, vocem Christi in te præsidentis & loquentis agnoscam. Si mortem merui, mortem non recusabo". Quid obedientius summissiusvè? Et tamen, ut Vlembergius observavit[a]. "Quæ paulò post secuta sunt, testãtur eum, hâc summissione nihil aliud spectasse, quàm ut captaret favorem hominum, atque interim, dum res suas stabiliret in Germaniâ, summo Pontifici glaucoma objiceret, aut fumos, quod aiunt, venderet". Tam præclaram scilicet obedientię professionẽ mox consecuta est gemina responsio ad Sylvestri Prieratis Epitomen, in quâ & pro Antichristo Pontificem Romanum, & pro Synagoga Satanæ Romanam Curiam proscindere est ausus[b], exhortans Imperatorem, Reges, omnesque Principes ad opprimendos *Hos Cardinales, hos Papas, & totam istam Romanæ Sodomæ colluviem*: pudor est reliquam verborum fæcem his chartis illinere. Luthero hæc scribenti spes conciderat fore, ut per Romanos Judices sibi liceret esse Hæretico. Hic fixus est terminus obedientiæ Hæreticæ.

a *In vita Lutheri ad an.* 1518.

b *Ibidem.*

FRAUS IX.

Aliis, aliisque sycophantiis circumvenire Pontificem Romanum, ac denique terroribus percellere, & vi cogere, ut hæresim suscipiat vel dissimulet.

a *Mich. c. 1.* SAmariæ impietas [a] *venit usque ad Iudam, & tetigit usque ad portas populi mei, usque ad Hierusalem.* Utcumque fraus alia, atque, alia malè cedat, aliam, atque aliam tentare non cessat, ut mediam intret Urbem, & quod habet Urbs, & Orbis Christianus Caput supremum, suæ libidini subdat; si quâ fraude possit.

Quas sese in formas verterunt Ariani, ut Liberium Papam vincerent; aut saltem victum mentiri liceret aliquantâ specie? Quot fidei formulas fabricarunt, ut unam quamdam efferrent, quæ & Liberio placeret, & impietati suæ minùs adversaretur? Successit tandem illis sua fraus. Religiosi homines simularunt perplacere sibi formam Nicænæ fidei; ast pro tempore videri omninò supprimendam vocem periculosam *Homousion*:

Ortho-

Orthodoxam prorſus eſſe vocem; ſed, prô dolor! [a] eâ privatim abuti quoſdam ad ſtabiliendam Sabellii hæreſim. Quid plura? Fraudulentâ religione; ſed & ærumnis, Romæque deſiderio victus Liberius formulæ fidei ſubſcripſit, cui deerat vox Hæreticis tam exoſa. Ibi verò ſuum eſſe Liberium Pontificem, negatamque à Liberio *Conſubſtantialitatem* exclamarunt impii. Non hîc ſteterunt: ſed mendacia cumulantes, negatam à Liberio Perſonarum ſimilitudinem ſparſere in vulgus: uſque adeò, ut injectam ſibi neceſſitatem Pontifex judicaverit, propriam edendi formulam fidei, quâ fidelium communione arceret, quiqui Filium Patri ſubſtantiâ ſimilem negarent. Quid autem profecit? Formulam Semi-Ariani gratanter ſunt amplexi, & nihilo moderatiùs jactarunt, à ſe ſtare Liberium Pontificem. En fraudem circumvenientium juſtum, ipſumque Chriſtum Domini.

[a] *Sozomen. lib. 4. cap. 14*

Agnoſcunt plerumque, & uſu ipſo diſcunt Hæretici, deſperandum ſibi eſſe de ſucceſſu tam optato. Quare ſimulatione, mendaciis, perjuriis hoc agunt ſæpius, ut litteras obtineant à Romano Pontifice, pacificas olim dictas, ſeu communicatorias, quas deindè oſtentent, ut vel ſe probent Orthodoxos, vel Pontificem Hæreticum.

Non quievit cum ſuo grege Montanus, niſi

nisi pacis, & communionis litteras ab Aniceto Papa Ecclesiis Asiæ, Phrygiæque obtineret: donec à Praxeâ, etiamnum recta sentiente, edoctus Pontifex fraudem hæreticam perspexit, nullamque impiis esse pacem jussit: quod quidem ex iis ipsis, quæ adversus Praxeam scripsit Tertullianus [a] intelligere licet.

[a] Cap. 1.

Eustachius verò Sebastiæ Episcopus, unus è primis Arii discipulis, Sede suâ pulsus ob hæresim, quid non egit, ut pacificas litteras à Liberio obtineret [b]? Romam tetendit amplâ fungens legatione factionis Arianæ: ibi verò & Nicænam fidem confessus est amplissimè, & nihil eorum omisit, quæ Orthodoxum Episcopum decerent; quo ille artificio facilè obtinuit expetitas litteras, quibus in Tyanensi Synodo ostentatis, Sedem suam recuperavit, votorum summam. Didicit verò Liberius à S. Basilio edoctus [c] hoc esse effectum litteris pacificis Hæretico datis, ut pax Ecclesiarum turbaretur fidentius, & non sine autoritate. "Quoniam igitur, inquit Basilius, istinc vires accepit lædendi Ecclesias, ac publicandæ suæ impietatis fiduciâ, quam vos dedistis ad subversionem multorum usus est, necesse est, ut istinc quoque veniat malorum istorum correctio, &c".

[b] Socrat. lib. 4. cap. 11.

[c] Epist. 74.

Plus aliquid, si Hieronymo credimus, affectavit Ruffinus, quàm litteras pacificas, à Siricio

Siricio Papâ: ſed denique, Divinâ Providẽtiâ Romam protegente, atque Pontificem Romanum, ſatis habuit litteras pacificas auferre.

Romam Hieroſolymâ redux cum Melaniâ Ruffinus univerſam mox Urbem in ſui admirationem rapuit. Paucis exceptis, quos Hieronymus præoccupaverat, nemo erat, qui non gauderet coram conſpicere illam Chriſtianæ Sapientiæ abſolutionem, de quâ renunciaverat fama ipſa tam multa; nemo qui loquentis ab ore non avidè penderet. Hîc ille utens tempore proferre cœpit eas merces, quas ex Ægypto in Palæſtinam, atque hinc in Italiam advexerat, de quibus S. Hieronymus per ironiam[a]: "O Triremem locupletiſſimam, quæ Orientalibus, & Ægyptiis mercibus Romanæ Urbis ditare venerat paupertatem............ Te multo tempore Pharus docuit, quod Roma neſcivit: inſtruxit Ægyptus, quod Italia huc uſque non habuit". Porrò peſtiferæ erant merces libri Periarchon Origenis latinè à Ruffino verſi, non ſine præfatione magnificâ, atque Apologiâ pro Origene attributâ Pamphilo Martyri; cùm eſſet revera Euſebii Cæſareenſis labe Arianâ dedecorati Scriptoris.

a *Apol. cõtra Ruffin. l. 3. cap. 8.*

Hic verò (ô pudor illius ætatis!) cùm Romæ tacerent ii ferè, quos oportebat, ſe murum opponere pro Domo Dei,

"Sancta

[a] *Epist. 16.* "Sancta Marcella, ut Hieronymus narrat [a],
„ quæ diu se cohibuerat .... postquam
„ sensit, fidem Apostolico ore laudatam in
„ plerisque violari, ita ut Sacerdotes quo-
„ que, & nonnullos Monachorum, maxi-
„ mèque sæculi homines, in assensum sui tra-
„ heret, ac simplicitati illuderet Episcopi, qui
„ de suo ingenio cæteros æstimabat, publicè
„ restitit, malens Deo placere, quàm ho-
„ minibus".

Quo pacto restiterit sic explicat: "Dam-
„ nationis Hæreticorum hæc fuit principium,
„ dum adducit testes, qui prius ab eis eruditi,
„ & posteà ab hæretico fuerant errore correp-
„ ti, dum ostendit multitudinem deceptorum,
„ dum impia Periarchon ingerit volumina,
„ quæ emendata manu scorpii monstrabantur,
„ &c".

Tum verò quid Ruffinus, ejusque socii?
[b] *Ibidem.* b "Cernentes Hæretici de parvâ scintillâ ma-
„ xima incendia concitari, & suppositam du-
„ dum flammam jam ad culmina pervenisse,
„ nec posse latere, quod multos deceperat, pe-
„ tunt, & impetrant Ecclesiasticas epistolas,
„ ut communicantes Ecclesiæ, discessisse vide-
„ rentur". Fraudem denique vides, quam di-
cebam. Atque hæc illi, abusi simplicitate
Siricii, quam modò notabat Hieronymus.
Sed bene habet, quòd datam impiis pacem
mox abrogarit fortior Siricio Anastasius suc-
cessor,

cessor, quo Ecclesiam regente, ut Hieronymus testatur [a], "Acciti frequentibus literis Hæretici, ut se defenderent, venire non sunt ausi, tantaque vis conscientiæ fuit, ut absentes damnari, quàm præsentes coargui maluerint".

[a] *Ibidem.*

Liceat his subnectere animadversionem sapientissimi Baronii Cardinalis [b]: "Cæterum ait, quod haud velocius Siricius periclitanti occasione Origenis errorum occurrit Ecclesiæ, quàm citius, nempe anni sequentis exordio, ex hâc vitâ sublatus est, erectusque super Cathedram Petri acerrimus oppugnator Origenistarum Anastasius Papa, sæpe quidem, atque pavendis est demonstratum exemplis, ut Pontifices illi, qui causam fidei paulò segnius tractaverunt, ac remissius curaverunt, à Christo primario omnium Pastore fuerint quàm celeriter ex hâc vitâ subducti, adeo ut manifestè fuerit declaratum, summo, jugique studio, specialique diligentiâ semper invigilasse Divinam providentiam, ne quâ vel levi saltem suspicione hæreticæ contagionis aspergeretur".

[b] *Ad an. 397 num. 22.*

Superest Hæreticorum ausus in Romanum Pontificem teterrimus, maximèque detestabilis. Experti non raró, technis suis, & versutiis altiorem extare Apostolicam Sedē, ut nihil intentatum relinquant, minis, terroribus, vi Petram concutiunt moveri nesciam.

Præci-

Præcipua quædam tantæ audaciæ exempla dedit Eusebiana factio tam affectans Orthodoxa videri, quàm Arianæ hæresi stabiliendæ occultè studens. Catholicam Religionem perditum ibant impii in Magno Athanasio. Quid non egerunt, ut Julium Pontificem suis furiis incenderent adversus innocentem? Nihil successerat. Synodum igitur celebrandam in ipsâ Urbe Româ flagitarunt. Synodum indixit Pontifex, missisque Legatis adesse jussit impiæ factionis Episcopos. Hi verò sentientes, rem fluere ad absolutionem Athanasii, moras nexuere ex moris, donec in Romano Concilio absolutus est Athanasius. Hîc verò nihil actum tot fraudibus videntes Eusebiani, suamque Julio Pontifici constare æquitatem, subnixi Imperatoris Constantii potentiâ, ad terrores converterunt se: ac primum quidem Pontificios Legatos facessere jusserunt: tum verò & Epistolam ad Julium dederunt procacissimam [a]; pares illico, imò superiores Julio facti, cum negarent, Episcopos magnitudine Civitatum metiendos, quâ solâ emineret ille, & criminarentur, haud jure factam Athanasii absolutionem; quem Tyri conventiculum condemnasset. Quid plura? Constantium Imperatorem, ejusque arma, & violentiam Julio opposuere: his dejici è sede Alexandrinâ Athanasius potuit, frangi Julius nõ potuit.

[a] *Ex Epist. Julii apud Athã. Apol. 2.*

Artes

Artes omnes consumpserant & Ariani Episcopi, & Constantius Imperator, ut Liberium Papam haberent obsequentem suæ perfidiæ, & furori. Nihil erat profectum blanditiis, muneribus, amplisque promissis. Quid tandem? Ariana conclusio hæc fuit[a]; *Ergo trium dierum spatium habes ad deliberandum, ut aut subscribendo Romam redeas, aut statuas, quem in locum deportari velis.* Ad hæc Pontifex: *Spatium dierum trium mentem mutare non potest, mitte quò voles.* In Baroëam Thraciæ jussus properavit exul magnanimus.

a *Theodor. lib. 2. Hist. cap. 13.*

Non mirùm, patrocinio magni Principis feroces Hæreticos frontem Romano Pontifici minacem ostendisse identidem; quando suis ipsis copiis nixi, quantumvis imbellibus paria sunt ausi. Romam adnavigaverat Felicissimus Schismaticorum cinctus catervâ, postulans admitti à Cornelio Papâ. Hostes Christi aversatus est Cornelius. Illi verò instare pertinacius, atque, ut à Cypriano accepimus[b], "Minis, & terroribus aggredi Pontificem, cum summa desperatione comminantes, quod, si litteras, quas attulerant, non accepisset, publicè eas recitarent, & multa turpia, & probrosa, & ore suo digna proferre". Quàm verò fuerint hæc probrosa, & quàm atroces minæ, ex eo disce, quod illis invictus Christi Athleta Cornelius, cui satis

b *S. Cypriã. epist. 55.*

erat

erat roboris ad ſuſtinendum inſtantis Tyranni vultum, & diros cruciatus, videatur commotus aliquantum fuiſſe. Uſque adeò quâvis tyrannide crudelior eſt hæreſis. Tum verò Cyprianus ad Pontificem ſcribens[a]: "Quod
„ ſi ita res eſt. Frater, inquit, ut nequiſſimo-
„ rum timeatur audacia, & quod mali jure,
„ atque æquitate non poſſunt, temeritate, ac
„ deſperatione proficiant, actum eſt de Epiſ-
„ copatus vigore, & de Eccleſiæ gubernandæ
„ ſublimi, ac divinâ poteſtate, nec Chriſtiani
„ ultra aut durare, aut eſſe jam poſſumus; ſi
„ ad hoc ventum eſt, ut perditorum minas,
„ atque inſidias pertimeſcamus". Sed verò dignitatem ſuam, & conſtantiæ tenorem ſervavit Cornelius.

a Ibidem.

Vides, Lector Chriſtiane, quàm vario paratu inſtructa hæreſis dominationem affectet in Caput ipſum Eccleſiæ ſupremum: fraus fraudem trudit: exhauſtâ fraudulentiâ præſto eſt rabies. Sed his fluctibus non dimovebitur de ſtatu Petra, quam fundavit Chriſtus. Impiæ factioni canamus, quæ Ruffino S. Hieronymus[b]. "Scito Romanam fidem Apoſtolicâ voce laudatam, iſtiuſmodi
„ præſtigias non recipere: etiamſi Angelus ali-
„ ter annuntiet, quàm ſemel prædicatum eſt,
„ Pauli autoritate munitam non poſſe mu-
„ tari".

b Apol. contra Ruffin. lib. 3. c. 4.

Attamen nè vel ſpecies quædam cedentis

hæreſi

hæresi Pontificis Romani, vel tarditas in refrœnandâ Hæreticorum audaciâ Ecclesiæ noceret, ausus est S. Bernardus Innocentium Pontificem contra Abailardum Hæreticum, ejusque Armigerum Arnaldum munire iis verbis, quæ concludendo huic loco sunt idonea [a]: "Verùm tu, ô Successor Petri, judicabis, an debeat habere refugium Sedem Petri, qui Petri fidem impugnat. Tu, inquam, amice sponsi, providebis, quomodo liberes sponsam à labiis iniquis, & à linguâ dolosâ. Sed, ut paulò audacius loquar cum Domino meo, attende etiam tibi ipsi, amantissime Pater, & gratiæ Dei, quæ in te est. Nonne cum esses parvulus in oculis tuis, ipse te constituit super gentes, & regna? Ad quid? nisi ut evellas, & destruas, & ædifices, & plantes? [b] Processimus in hoc negotio, quousque ausi sumus, tuum est de cætero, Beatissime Pater, providere, ne in diebus tuis aliquâ hæreticæ pravitatis maculâ decor Ecclesiæ maculetur. Tibi commissa est sponsa Christi, amice sponsi: tuum est tandem uni viro virginem castam exhibere Christo".

[a] Epist. 189.

[b] Epist. 191.

FRAUS

FRAUS X.

Optimum quemque virum, quem suis conatibus adversantem sentiant, proscindere libellis infamibus, atque atrocibus vexare contumeliis.

HOc omni fraudis genere, quod exposui hactenus, non sic fidunt Hæretici, ut satis tutum existiment suis erroribus: nisi doctrinâ, & probitate præstantes viros, quos sibi adversantes sentiunt, exanimarint penitusque oppresserint.

Venite & cogitemus adversus Hieremiam cogitationes .... venite & percutiamus eum in linguâ, & non attendamus ad universos sermones ejus. "Ista, inquit, Hieronymus [a], & „ tunc Judæorum contra Hieremiam, sivè „ Dominum Salvatorem, & hodie Hæretico- „ rum contra servos ejus cogitatio est, ut ca- „ lumnias struant, & sanctos Viros accusatio- „ ne præveniant, nec cogitent, quid illi veri- „ tatis loquantur; sed quid ipsi struant men- „ dacii".

a In cap. 18. Hierem.

Parum est, percussisse in linguâ, & voce maledicâ:

maledicâ: stylo fodiunt, & lancinant diræ plagæ inhæsuro diu. Etenim, ut idem Hieronymus est commentatus in Amos Prophetam [a], "Habent & Sagittarios Hæretici.......... Isti sunt Sagittarii, de quibus & David canit: *Ecce peccatores intenderunt arcum, paraverunt sagittas suas in pharetrâ, ut sagittent in obscuro rectos corde*".

a *In Amos cap. 2.*

Sagittarii Hæreticorum, *sagittantes in obscuro rectos corde*, illi planè Tenebriones mihi videntur, quos vel Hæreticorum Doctor quispiam, vel Hæretica factio, certis sibi stipendiis habet obnoxios, & obsequentes, ut dato signo stylum exerant, ruantque impetu cæco in optimum quemque virum, ut jussi fuerint. Fabulam agi censeas, cum videas. [b] "Accede illuc Parmeno: hic propter hunc assiste: Cave nunc jam oculos à meis oculis quòpiam dimoveas tuos. Ne mora sit, si innuerim, quin pugnus continuò in malâ hæreat". Tum verò Parmenones illi, etsi ne innuerit quidem Æschinus ullus, haud sibi temperant; certi neque dignitate, neque probitate, neque religione viri commoveri, quò minus ipsum fœdissimè dilanient, atque discerpant.

b *Adelph. act 2. scen. 1.*

Instructissimus erat hoc genere Pelagius Hæresiarcha, timidus ipse per sese, & styli parcus; audens verò quidlibet alienâ manu. Quò respiciens S. Hieronymus contra Pelagium

gium ſcribens ad Cteſiphontem "Magiſtro-
„ rum, inquit ſilentia profert rabies Diſcipu-
„ lorum: quod audierunt in cubiculis, in te-
„ ctis prædicant". Alibi [a] de Magiſtris iiſ-
dem "In tantum, inquit, elingues, & miſeri
„ demonſtrati ſunt, ut me maledicere quidem
„ ſuis verbis potuerint".

[a] Præfat. ad lib. 4. in Hierem.

Porrò præcipuam quamdam operam hujus generis Pelagio, & Pelagianæ factioni navavit Cœleſtius, Magiſtro ſuo Diſcipulus liberior, apertior, mendacior, idemque acerrimi ingenii; adeòque ad aculeatum ſcribendi genus probè comparatus à naturâ, quam arte quâdam diſſerendi, & concludendi breviter, acutè, contortèque excoluerat. Hæc de Cœleſtio Auguſtinus locis variis [b].

[b] Lib. de pec. orig. c. 12. l. 2. ad Bonif. c. 3. l. de perf juſt. cap. 1.

Pelagii igitur Magiſtri ſui organum quoddam creditur Cœleſtius fuiſſe. Pelagium vulgò intelligunt *Mutum* illum; Cœleſtium verò *Canem Alpinum*, quos Hieronymus appellavit hæc ſcribens [c]; "Ipſeque mu-
„ tus latrat per Alpinum canem, grandem, &
„ corpulentum, & qui calcibus magis poſſit ſæ-
„ vire, quàm dentibus". Quamquam profectò etiam dentibus, & ſtylo ſævire Cœleſtius potuit; ſi hominem rectè Auguſtinus depinxit.

[c] Præfat. ad lib. 3. in Hierem.

Exarmato, fractoque Cœleſtio, Sagittarium Factioni Pelagianæ Satanas providit Julianum, qui ingenii, ſtylique acumine

Cœle-

Cœlestio nihil concederet; furore verò, & calumniandi ardore, longè præcelleret. Pelagianæ impietati Augustinus potissimum sese objecerat. Augustinum igitur stylo suo destinavit Julianus; non vincendum (hoc enim quî sperare poterat etiam vecordissimus juvenis?) sed fodicandum, & dirè cruentandum. Primum quidem libellos quatuor [a] in illum scripsit, non tam disputans, quàm insultans. Hos ipsos cum refutasset Augustinus eo libro, quem secundum scripsit de Nuptiis, & concupiscentiâ, crevit Hæretico furor, librosque conduplicans, octo reposuit, felle etiam magis atro tinctos. Ibi id ætatis, ingenii, doctrinæ, virtutis, & religionis Augustinum procacissimus juvenis haud est veritus tractare, ut [b] " Manichæum, Sacramentorum Ecclesiæ contaminatorem, [c] stolidum, sacrilegum, [d] impudentem Numidam, & induratæ frontis, [e] levitate turpissimâ concitatum, in certamen maximum luminibus involutis Andabatarum more procedentem: Fœmineis vocibus vulgi pectora commoventem: [f] simplicitati religiosorum pectorum, & imperitis auribus illudentem: impudentiâ effrænatâ jactatum: iis compellandum modis, quibus in parricidam publicum eloquens Consul infremuit". Hoc deerat ad omne probrum, ut Catilinariam Tullii verteret in Augustinum.

a Lib. 1. oper. perf. n. 12.

b Ibid. n. 9.

c Ibid. n. 14

d Ibid. n. 16

e Ibid. n. 19

f Ibid. n. 22.

a Ibidem. Quid autem Augustinus ipse ad hæc? a ".Non. timemus Julianum, cum videmus ,, factum esse Tullianum: imò potius dole- ,, mus insanum, cum videmus sensum perdi- ,, disse Christianum. b Convitiare, quan- ,, tùm potes: quis enim convitiosus hoc non ,, potest? c Hæc quidem dicis, sed tu dicis: ,, qui autem legit, & intelligit, si non Pela- ,, gianus est, non hæc dicit. d Spero de Do- ,, mino Deo nostro, quod non sine mercede, ,, quæ in cœlis est, illi me lacerant dente ma- ,, ledico, quibus me pro parvulis, ne fallaci lau- ,, datori Pelagio perditi relinquantur; sed ,, veraci Salvatori Christo liberandi offeran- ,, tur, oppono". Habes Christianæ fidei Athleta, exemplum illustre, quo libellos Hæreticorum, Maledicentiâ Magistrâ dictatos, vel contemnas, vel repellas, teque consolere, atque ad fortitudinem erigas tuo munere dignam.

b Ibid. n. 11

c Ibid. n. 14

d Lib. 1. ad Bonif. c. 1.

Quamquam diffiteri non possumus, etiam Principum, Regumque partes in eo agi, ut licentiam hæreticam infamium scriptionum adversus optimum quemque supremâ potestate coerceant. In quo genere dignum Majestate Regiâ exemplum dedit adversus Wicleffistas Richardus Anglorũ Rex. Sic narrat Walsinghamus e: "Eo tempore Lolardi cum ,, suis fautoribus in omnem malitiam efferati, ,, fixerunt publicè super ostia Ecclesiæ S. Pauli

e Raynal. ad an. 1395 num. 18.

Lon-

Londoniis, & Westmonasterii abominabiles "
Cleri accusationes, quibus nitebātur destrue- "
re personas Ecclesiasticas, & Ecclesiæ Sacra- "
menta, animati, ut fertur, nimio favore quo- "
rūdam Procerum...... qui instigabant, & con- "
fortabant Hæreticos ad confundendum, si "
posse daretur, PRÆCIPUE RELIGIOSOS. Rex "
igitur, ut præfertur, conceptis Lolardorum "
malitiis, festinavit in Angliam, ut dissiparet "
ejus intuitu tanta mala; quò cùm pervenisset "
feliciter, quosdam de Proceribus objurgavit "
acriter, comminans eis terribiliter, si de cœ- "
tero Lolardis faverent. De Richardo quo- "
que Sturii accepit juramentum, quod de cœ- "
tero opiniones hujusmodi non teneret: quo "
facto dixit Rex; & ego juro tibi, si tu um- "
quam violaveris juramentum, morte turpis- "
simâ morieris. Audientes cæteri tantum ru- "
gitum, cornua retraxerunt, & hactenus de- "
lituerunt". Hæc Walsinghamus. Tu, Lector, "
animadverte Proceres Wicleffianæ Factionis Sagittariis instructos, qui [a] *intenderunt arcum rem amaram ad sagittandum in occultis immaculatos*; sed Religiosos potissimùm: tum verò Richardi Regis transfretationem in Angliam, ad ulciscendum tantum nefas: cujus ego expeditionis gloriam victoriæ magno bello partæ haud injuriâ anteferam.

[a] *Psalm. 63.*

Utinam par animus Wenceslao Bohemiæ

a Raynal. ad an. 1395. num. 12.

Regi fuisset.[a] Factum est ejus ignaviâ, ut Wicleffianæ hæresis licentia compressa in Angliâ, extulerit sese, atque efferatè jactaverit Bohemiâ totâ.

Utinam etiam rectâ secum reputasset viâ Fridericus Saxoniæ Dux, quid malorum Ecclesiæ portenderent probrosi libelli, quorum farraginem tantam Wittenbergenses Academici protrusere in lucem, res novas incœptante Luthero! Martinus Lutherus multùm ille quidem Pelagio dissimilis, si verum est, quod aiunt, pertimidum, mutum, atque elinguem Pelagium fuisse; hoc verò simillimus Pelagio, quod discipulos sibi adjunxerit ingenio acutos, styloque promptos, audaciâ præcipites, mendaciis consutos, maledicentiâ formidabiles, quibus si innuisset modò, prosiliebat illicò è prœlo Typographico quiddam paginarum ad probrum optimi cujusque viri, quem ille designasset, aut ne designasset quidem; si modò Luthero esset adversatus.

b Raynal. ad an 1516. num. 84.

Rem suprà tactam libet aliquantò altius, & explicatius repetere.[b] Nondum erat in Germaniâ auditum Lutheri nomen, cùm Joannes quidam Reuclinus Capnion politioris litteraturæ, & Sacrarum Linguarum, Legumque peritior, quam Theologiæ, scripserat libri quiddam, quo Judæis favere visus est usque adeò, ut ei Jacobus Hocstratus

è

è Prædicatorum familia Censor Fidei, crimen hæreseos intenderet. Ibi verò, quotquot Reuclinum admirabantur, politioribus litteris dediti, quorum se Ducem agebat Erasmus, Reuclini causam suscipientes, calamos exacuerunt, primùm quidem in Hocstratum ipsum, ejusque socios; tùm verò in Religiosos nullo discrimine, ac denique in Theologos Scholasticos universè. Libelli volitabant aculeati, quibus Theologi quidem ut agrestes, ignavæque pecudes, fœdissimè proscindebantur.

Atque hæc quidem, si verum quærimus, Lutheranæ tempestatis origo quædam fuit; quod Erasmo exprobrare non dubitavit Albertus Pius Carporum Princeps[a], "Ex quæstione, inquit, illâ Reuclinianâ, prodierunt " primùm epistolæ obscurorum virorum, qui- " bus festivissimè ridebantur Theologi minùs " elegantes: quas me fateor legisse non sine " quadam voluptate: ludum tamen numquam " probavi. Indè igitur demùm factum est, quod " & tu ingenuè fateris, ut quotquot vestratium " amabât bonas litteras, se Lutheri nascenti fu- " rori fautores exhibuerint. Hæc causa tanto- " rum malorum fuit: hinc enim Luthero na- " turâ temerario audacia crevit, & arrogantia, " tantis videlicet auxiliis confidenti".

a *Respons. ad epist. I. Erasmi.*

Etenim, ut Coclæus narrat[b], "Lutheri " miserta Poëtarum, Rhetorumque docta " cohors

b *In Actis Luther. ad an. 1518.*

„ cohors, & in adversarios ejus odio accensa
„ impigrè pro eo & linguâ, & calamo decer-
„ tabat, causamque ejus laïcis commendabi-
„ lem reddebat, ac variis cavillis & invectivis
„ Prælatos Ecclesiæ, Theologosque perstrin-
„ gebat, incusans eos avaritiæ, superbiæ, invi-
„ diæ, barbariei, & ignorantiæ......... Cùmque
„ valerent non solùm ingenio, & acrimoniâ,
„ verùm etiam elegantiâ sermonis, sivè loquen-
„ dum, sivè scribendum esset, facilè traxerunt
„ laïcorum animos in favorem, commiseratio-
„ nemque Lutheri".

Petulantissimorum hominum vestigia servant impressa hodieque volumina Lutheri: his Epigrammata, Satyras, Ludosque omnis generis sarcasticos in Sorbonam, in Lovanienses, in Colonienses Doctores, in Aleandrum, in Eckium, aliosque Theologos, in Religiosos Viros, in Romanum Pontificem videas inspersa, ferè tacitis Autorum nominibus. Hic & libellum invenias, quem dicere liceat Phœnicem quemdam renatum ex cineribus universorum Lutheri librorum, quos ultor ignis absumpserat: titulus libello; *In incendium Lutheranum exclamatio Ulrici Hutteni*. Hic ille est Huttenus, cui elogium Albertus Pius his verbis pertexuit[a]. "San-
„ xerunt fœdus Lutherus furiosissimus, ac
„ Hutten facundus quidem alioquin, & acuto
„ ingenio; at insolentissimus homo, & turbu-
lentissimus,

[a] *Respons. ad epist. 1. Erasmi.*

lentissimus, ad omne facinus accomodatus, "
Catilinæ socius aptissimus; si ejus temporibus "
vixisset, ut ex ejus gestis, ac scriptis depre- "
hendi potest". Atque hunc quidem Lutherus *ad sagittandum in occultis immaculatos* nuptibus suis obsequentem habuit [a], donec impiam manum lues venerea repressit, abstulitque virum sanguinum.

Non defuerunt alii Luthero hujus generis mastyges, qui nomen suum non erubescerent: hos inter emicuit Joannes Veltkirckius impotētissimè debacchatus [b] in Augustinum Alveldensem Franciscanum, quod scripto quodam restitisset Luthero, aut certè visus esset resistere; cùm Lutherum ne nominasset quidem. Superavit verò omnes Melancthon, cujus operâ, simulque Lutheri, prodiit luculentus liber [c], cui titulus *Interpretatio duorum monstrorum Papaselli & Monachovituli*: sed his spurcitiis immorari non decet.

Hoc genere militum Sagittariorum fretus Lutherus [d], cùm ferret ægerrimè, Albertum Archiëpiscopum Moguntinum, eumdemque Cardinalem, Sacrorum Canonum severitatem adhibere adversus incœstas Sacerdotum nuptias, cùmque præsagiret, frustra fore suas blanditias, quibus illum erat conatus irretire, ausus est enimverò ad minas descendere: quas autem minas? Librum Satyricum minatus præsto fore; nisi à proposito discederet.

a *Raynal. ad an. 1520. num. 2.*

b *Tom. 2. Oper. Luth.*

c *Ibidem.*

d *Raynal. ad An. 1521. num. 53.*

discederet. Hominis insaniam Albertus Cardinalis ita contempsit, ut gravi ad eum responso profiteretur, decretum sibi esse, "Ita
„ se gerere palam, ut bonum Ecclesiasticum,
„ & Christianum Principem deceret, quam-
„ diu suam Deus gratiam, vires, & rationem
„ concederet".

Utinam quidem in illo discrimine Ecclesię par fortitudo cæteros in Germaniâ Præsules, bonosq; viros erexisset! Utinam & in Galliâ factione Calvini invalescente! Quod tempus recolens Florimundus Ræmundus.[a] "Vetus
„ illa, inquit, Hæreticorum consuetudo semper
„ fuit, & est, Religionis latus per Religiosorum
„ vitam petere .... Id sanè tùm apertissimè in
„ Galliæ nostræ Calvinistis vidimus, qui non
„ ea solùm, quæ sciebant, sed etiam quæ nes-
„ ciebant, ficta, ac falsa in Catholicos, præ-
„ sertim Sacri Ordinis deblaterabant, pasquil-
„ los, & famosos libellos passim affigebant,
„ rhythmos decantabant, nihil denique inter-
„ mittebant, quod ad minuendam, imò tol-
„ lendam omnem Ecclesiastici Ordinis æsti-
„ mationem, atque autoritatem quoquo mo-
„ do pertinere videretur".

[a] Lib. 7. c. 13

Imò hoc agunt potissimum Hęretici Doctores suorum operâ tenebrionum, ut formidabiles sint, animosque infringant bonis viris, ut nè mutire audeant adversus hæresim, sibique liceat solis audere quidlibet. Sed nos confirmet

confirmet paria expertus Cyprianus [a], & quæ in unum scripsit Novatianum, sic reddamus, ut conveniant in omnes Hæreticos: "Nos autem, Fratres dilectissimi, non moveat, aut turbet Hæreticorum perfidorum abrupta dementia, qui cùm in tam ingenti dissensionis, & schismatis crimine constituti, & ab Ecclesiâ separati sint, sacrilegâ temeritate non dubitant in nos sua crimina retorquere. Cùm sint enim à semetipsis nunc facti immundi, sordibus sacrilegis inquinati, hoc nunc nos esse contendunt. Et cùm scriptum sit canes foris remansuros .... rabiem suam non cessant latratibus excitare, luporum more tenebrosam caliginem optare, quâ facilè possint ferinâ suâ crudelitate, oves à pastore direptas, speluncâ tenebrosâ laniare". Latrent in nos, qui foris sunt, canes, imò luporum more ululent in tenebrosâ caligine Scriptores tenebriones: sua in nos crimina dum torquent, non facient criminosos; nisi timere coëgerint: crimen reputetur hos lupos timuisse.

a Lib. contra Novat. in princip.



FRAUS

FRAUS XI.

Judicum Fidei commiserationem commovere miserabilibus querimoniis, de adversariorum maledicentiâ, & asperitate.

NOn hoc efficiunt Hæretici suo in bonos viros odio, ut sibi pax ab illis sit. Sentiunt identidem Christianâ utentes libertate, ut clàm serpentes errores in lucem protrahant, ubi minus noceant, validèque confutatos eorum oculis objiciant, qui sanctiori censurâ in Ecclesiâ funguntur. Hîc ergo, Lector, accipe Lachrimas Crocodyli; imò Planctum Draconum, & Luctum Struthionum.

Hæretico ingenio uti arrogantius est nihil, sic neque liberius, aut maledicentius. Quem suscepit errorem, certum habet tueri, calcatâ, & proscissâ autoritate omnium hominum, qui vivant. Quiqui sejunxere se ab Hæreticorum grege, utcumque docti, & probi vulgò reputentur, & sint, Magistri pessimi sunt, Fabulatores, Theologastri, Pseudo-Theologi, miris docendi artificiis in errorem ducentes, si fieri possit, etiam

electos.

electos. Hoc genus maledictorum ubi plenis modiis effuderunt, si quis contra prodeat Orthodoxus, argumentorum pondere gravior, quàm vellent, illum mordacem, illum caritatis Christianæ oblitum exclamant: & quod in Hereticos adnotavit Gregorius [a], *Bonorum, verba non dicta rationis, sed stimulos furoris existimant.*

[a] In cap. 15. Iob.

Si quis etiam justâ succensus irâ avitæ Fidei damna ultum venerit, atque Hæreticum scriptorem eo lacessat ardore, qui par videatur comprimendæ audaciæ hæreticæ, illum esse aiunt convitiatorem pessimum, illum disputatorem virulentum, illum omnis modi nescium, quem fraternæ correptioni statuit Christus.

Superbissimi Hæreticorum, & dementissimi ad omne facinus inimicum caritati, erant Donatistæ, quibus Augustinus [b] exprobrare non dubitavit; *Non noscis; nisi superbire, & insanire*; quorum & hanc vocem commeminit [c]; *Recedite à plebibus nostris; si non vultis, ut interficiamus vos.* Ex illo grege tam mansueto Proculianum Hippone Episcopum pro Orthodoxâ fide disputans Euodius perstrinxerat Christianâ libertate: nec mora; contumeliam interpretans Hæreticus, questus est de Enodio dolentissimè. Fraudem hereticam perspiciens Augustinus, non se continuit, quin ea ad Proculianum scri-

[b] Epist. 166.

[c] Ibid.

a Epist. 147. scriberet [a], quæ & sedare possent ejus dolorem, & Euodii ardorem pro fide disputantis excusarent. "Audivi quidem, inquit, de
„ memorato fratre te fuisse conquestum; quod
„ nescio quid tibi contumeliosè responderit:
„ quod quæso te, ne illam contumeliam deputes: quam certum mihi est, non de superbo
„ animo processisse: novi enim fratrem meum;
„ sed, si quid in disputando pro fide suâ, &
„ pro Ecclesiæ caritate, dixit fortasse ferventius, quàm tua gravitas nollet audire, non
„ illa contumacia; sed fiducia nominanda est:
„ collatorem enim, & disputatorem, non assentatorem, & adulatorem se esse cupiebat:
„ nam hoc est oleum peccatoris, quo Propheta non vult impinguari caput: ita enim dicit;
„ *Emendabit me justus in misericordiâ, & arguet me: oleum autem peccatoris non impinguet caput meum*".

Tam pacatè, & blandè ad Hæreticum scribenti Augustino timere subiit, ne hæc ipsa ad contumeliam raperentur. Intelligebat, quàm parato ad hanc fraudem ingenio essent omnes Hæretici. Sic igitur mox occurrit: "Neque hoc in eam partem peto accipias; quasi ego te à Fratre Euodio, tamquam à justo, emendatum intelligi velim;
„ vereor enim, ne me quoque aliquid contumeliosè in te dicere existimes; quod vehementer caveo, quantum possum. Sed justus est

est ille, qui dixit: *Ego sum veritas*. Itaque de " cujuslibet hominis ore nobis verum cum aliquâ asperitate sonuerit, non ab illo homine, " qui fortè peccator est; sed ab ipsâ Veritate, " hoc est, à Christo, qui justus est, emendamur......... Quamquam etiam si Frater Euodius aliquantum pro sanæ communionis defensione turbatior, aliquid elatius animo commotiore dixisset, ætati hominis, & necessitatis causâ te oporteret ignoscere".

Gaudent planè Hæretici adversarios habere, à quibus seu verè, seu falsò læsi videantur. Hi cum deessent Eunomio, mentitus est, non defuisse; ut specioso Apologiæ nomine abuti liceret. Fraudem ejus omnem pulchrè detexit S. Basilius [a]: "Naturâ, inquit, solent omnes homines lacessitis patrocinari: idcirco adversarios calumniantes accusat Eunomius........... Omnibus artificium ejus fiat perspicuum........... Innovandi suspicionem Apologiæ adumbrat involucro, & quasi necessitate propter calumniantes ad hos sermones venerit, auditorum captat benevolentiam .... Cumque hujus causæ, quam dicere simulat, accusatorem nominare habeat neminem, ad hanc agendam Apologiæ fabulam, cui nulla persona subest, furtim accedit. Nec ex clementiâ nominatim eos, qui sibi molesti erant, dicere abstinuit; cùm omnes, qui aliter, quàm ipse, sentiant,

[a] Lib. 1. cõtra Eunom.

„ sentiant, acerbis maledictis lacessat, &c". Vides, Lector, astum queribundi Hæretici de maledicentiâ, & calumniâ: maledici optat sibi, imò fingit; ut simplices homines sui misertos perdat, judicesque inveniat propitios, ipse omnium maledicentissimus.

Grande verò est pathos illud, quo expostulant, non esse servatum ordinem fraternæ correptioni præscriptum. Volant quàquà versum chartæ simul maledicæ in optimos viros, simul veneno suo enecantes, si quis tetigerit incautus. Ingemiscit hæc aspiciens haud segnis manu, stylove quispiam: exclamat venenum propinari: pestem ipsam sic detegit, ut cerni oculis possit. Quid ad hæc expectes? Quid enim, nisi lachrymas Crocodyli, Planctumque Draconum, & Luctum Struthionum? Disputator invide, nihilne apud te valet Christi præceptum jubentis, fraternam correptionem primum quidem fieri privatim, tum verò adhiberi testes, ac denique ad Ecclesiam referri? Sic illi Religiosi cultores Evangelii.

Intelligit verò non narrari à me fabulam, quisquis non ignorat omnia. Apologiam S. Hieronymi adversus Ruffinum quis non legit? [a] "Quem emendare cupiebas, Magi-
„ ster indocte? Eosne, qui non peccaverant;
„ an me, ad quem non scripseras? Brutos pu-
„ tas esse Lectores, & omnes non intelligere

a Lib. 3.

pru-

prudentiam tuam; imò malitiam, quâ & serpens prudentior fuit cunctis bestiis in Paradiso: ut à me secretam admonitionem flagites, quem publicâ accusatione persequeris? Et non te pudet, accusationem tuam Apologiam vocare? Quererisque cur opponam clypeum pugioni tuo: & tibi quasi religiosulus, & sanctulus personam humilitatis imponis, & dicis: si erraveram quare scribis aliis, & non meipsum redarguis? Hoc ipsum in te retorquebo: quidquid enim me non fecisse causaris, quare non ipse fecisti? Velut si quis pugnis aliquem, calcibusque collidens, si resistere voluerit, dicat ei: Nonne tibi præceptum est; *Qui te percusserit in maxillam, præbe ei & alteram?* Quid enim, bone vir? Tibi præceptum est, ut me verberes? Oculum mihi effodias? &, si paululum me commovero, Evangelii mihi præcepta cantabis"? Hæc in Ruffinum S. Hieronymus.

Nihilo mitiora Lutherus merebatur. Etiam Lutherus (quis credat?) notatos dolens errores suos à Lovaniensi pariter, & Coloniensi Academiâ, questus est muliebriter, & caritatis, & juris Christiani ordinem esse contemptum[a]. "Poterant, inquit, duplici viâ, aut caritatis, aut juris Christiani mecum agere. Caritatis erat; si editâ schedulâ populis in hunc modum persuasissent: Nolite offendi;

[a] *In respons. ad artic. cõdemnatos à Lovan. & Colõ. Acad.*

 Fra-

„ Fratres, ſcriptis Lutheranis: multa diſputa-
„ vit; quædam fortè acutius dixit, quàm om-
„ nium ſenſus capiant. Habet etiam Divina
„ Scriptura ſuos periculoſos locos; quantò
„ magis hominis ſcriptura"? En delicatum, atque arrogantem ſuiipſius medicum Hæreticum.

Mox ordinem correptionis Evangelicum
„ dolet, neglectum eſſe. "Juris, ait, via fuiſſet,
„ ut juxta Chriſti præceptum priùs Fratrem
„ peccantem; etiamſi pertinaciam indicaſſem;
„ cùm ſint duodecim horæ diei, monuiſſent
„ privatis litteris; ſicut Reuclino fecerunt, ut
„ me ipſum vel explicarem, vel emendarem, vel
„ pertinaciam ponerem....... At neque Deum,
„ neque hominem veriti, audent ſeſe jactare
„ zelo fidei in me ferri; quaſi poſſibile ſit credi
„ Spiritum Sanctum ſuis contemptoribus ad-
„ eſſe, &c". Mox querelas miſerabiles in rabiem convertit.

Non eſt prætereundum querelæ genus alterum, Hæreticis familiare: ſcripſeram quiddam incurioſus, rudi calamo digeſſeram ad inſtructionem privatam: ecce autem protractum eſt in lucem inſcio me, ad invidiam meam. Sic illi poſtquam minimè obſcurè ſerpentis mali indicia fecit quiſpiam, ne plures occideret.

Fuit hæc querela Aëtii Anomoei in eo opuſculo, quod refutavit S. Epiphanius a. *Hæreſ. 76.*

Opuſ-

Opuſculum ipſum ſic orditur. "Perſecutio- "
nis illius tempore, quam contra nos tempo- "
rarii quidam homines excitarunt, nonnulli "
ex iis, quos diximus, inter alia multa, opuſ- "
culum quoddam privatim à nobis elucubra- "
tum de Ingenito Deo, ac Genito, ſurripien- "
tes, pleriſque additis, aut detractis interpo- "
latum, ac depravatum ediderunt".

Fuit querela eadem Hæreſiarchæ Pelagii; poſtquam iis libris Auguſtinus, quos de Naturâ, & Gratiâ ſcripſit, quamdam ejus Inſtructionem privatam excuſſerat, penituſque contriverat. Quid ageret Pelagius? Queſtus eſt miſerabiliter, *Libros inemendatos ſibi fuiſſe ſurreptos*, ut Auguſtinus memorat [a]. Sic eſt. Inemendatos Jacobo, atque Timaſio dederat, ſed neque emendandos; ne tunc quidem, poſtquam menda ipſa, lapſuſque graves, tam luculentè oſtenderat Auguſtinus. Rem pluribus alibi explicui [b]. Molles animi, atque omninò parùm facti ad tuendam ſeveritatem Orthodoxæ fidei, quos hiſce lachrimis commoverat Crocodylus.

Mollius, quàm par eſt, agam cum Eraſmo, ſi mollitiem animi dixero, quâ Lutheri eſt miſertus in Epiſtolâ ad Moguntinum Archiepiſcopum, alterâq; ad Fridericum Saxoniæ Ducem. Ibi [c] culpam omnem Lutheri, cujuſdam imprudentiæ finibus concludit. Ibi Theologorum Lovanienſium, ut videtur,

a *Lib. 1. de gratia Chriſti cap. 2.*

b *Part. 1. Fraud. 8.*

c *Epiſt. ad Archiep. Mogunt.*

temeritatem perstringit, ad quæstionem fidei ea trahentium, quæ, utcumque se habeant, fidei parum intersit: ibi eorumdem crudelitatem detestatur, *sitientium humanum sanguinem, & tantùm in hoc inhiantium, ut capiatur, & perdatur Lutherus*. Ibi denique[a], fidei studium prętexi humanis odiis. Ibi iterùm, *sitiri humanum sanguinem, non salutem animarum*, aliaque hoc genus. Quis non miseratur Lutheri hæc legens? Confirmandi sunt oculi Christiani, ut has lachrimas sicci aspiciant, aures que muniendæ adversus planctum, & ejulatum hæreticum, nè fidem ipsam perdat commiseratio, eò inclementior futura, quò erit viri autoritate majoris.

a Epist. ad Frider. Saxõ Ducem.

Contrahamus ad pauca. Miratur S. Hieronymus in Dialogo adversus Pelagianos, ridetque antilogiam Pelagii quodam loco asserentis, *Servum Dei nihil amarum de ore suo; sed semper, quod dulce est, & suave, debere proferre*; alio loco docentis, *Sacerdotem, sive Doctorem omnium actus speculari debere, & fiducialiter corripere peccantes*. Mihi verò si liceat interpretari mentem Hæreticorum, præceptum utrumque videtur planum, minimèque pugnans. Posterius præceptum ad se referunt, ut sibi fas sit, & lex quædam, corripere, & incessere maledictis omnes homines; priùs verò illud ad suos adversarios,

quibus

quibus ſi quid exciderit pro Orthodoxâ Fide dictum fervidius, grande piaculum ſit: ibi *Servus Dei de ore ſuo nihil amarum; ſed ſemper, quod dulce eſt, & ſuave, debet proferre.* De reliquò, *Doctor omnium actus ſpeculari debet, & fiducialiter corripere peccantes*: Addamus; fas eſt Doctori Hæretico, quidquid eſt Theologorum, & doctorum hominum habere pro fungis, pro fabulatoribus, Theologaſtris, Pſeudo-Theologis, miris docendi artificiis in errorem ducentibus, ſi fieri poſſit, etiam Electos.

Sic illi volunt, ſic ſtatuunt. Sed ab Eccleſiâ ſuâ Deus avertat hoc probrum, ut tam iniqua poſſeſſio tranſcribatur Eccleſiæ hoſtibus. Avertet prorſus, etiamque, ſi tacuerint, quibus eſt fandi copia, linguas infantium faciet diſertas, ut obſtruatur os loquentium iniqua.



FRAUS XII.

Expostulare seriò, dogmata sibi affingi hæretica, aut hæresim olentia, graviterque detrahi famæ, & honori suo.

FRaus nulla Hæreticis paratior, quàm dogmata sua negare, sua esse; tùm verò, si quis verba ipsis sua objecerit, hunc postulare de calumniâ. Habet hoc hæresim mirificum: doceri gaudet, memorari nõ vult, neque dici, se doceri: usque adeò ipsam sui pudet.

Palam Antiochiæ judaïzaverat Paulus Samozatenus, Christum negans Deum esse. Impietatem ulturi Antiochiam convenerant Episcopi, Presbyteri, Diaconi propè infiniti, ut Eusebius memorat[a]. Paulum esse insontem is solus crederet, qui solem negaret lucere meridie; Prodiit in Concilium Hæresiarcha. Prolata accusationis capita. Ille autem, si Theodoreto fides[b], nihil promptius habuit, quàm contestari palam; nihil horum sese, aut docuisse, aut sensisse: Apostolica se dogmata secutum semper, adeoque per summam injuriam vocatum in hocce Hæresis judicium. Ipsi verò Judices vel palinodiam interpretati, vel inducti ab im-

a lib.7.c.27

b Lib.2. Hist. ap. 8.

impoſtore, vel potentiam veriti Zenobiæ Reginæ, quam diſcipulam habebat, impunitum dimiſerunt. Quid autem ipſe poſt hæc? Nihilò ſegnius, quàm priùs, laceſſere cœpit Chriſti Divinitatem. Quâ famâ commoti Epiſcopi rurſum innumeri, ut Euſebius narrat [a], Antiochiam confluxerunt, certi exſcindere peſtem, cui prior lenitas vires dederat. Hæc providens Hæreſiarcha, perfrictâ rurſum fronte adfuit, graviterque expoſtulans de calumniâ [b] inficiatus eſt pertinere ad ſe eorum quidpiam, quo Hæreticus probaretur. Sed denique, ut Euſebius loquitur [c], "perſpicuè convictus, & omnium jam conſenſu palam condemnatus, ab universâ, & Catholicâ Eccleſiâ, quæ ſub cœlo eſt, exturbatus fuit".

[a] *lib. 7. c. 28*

[b] *Theodor. lib. 2. Hiſt. cap. 8.*

[c] *Ibidem.*

Non alius ad fraudem eandem exercitatior fuit, quàm Pelagius. Pelagium negaſſe parvulos damnationi primi hominis obnoxios eſſe, ſciebant omnes non modò homines; ſed etiam pecudes: tam erat palàm. De hoc ergò Hæreticum accuſabant docti, indoctique. Ille autem, ut Auguſtinus memorat [d], litteras ad Innocentium dedit expoſtulatorias, quas illo demortuo Zoſimus accepit: expoſtulavit verò, *ſe ab hominibus infamari, qui negaret parvulis Baptiſmi Sacramentũ, &c.* Aſtu hæretico de Baptiſmo loquẽs, amoliri ſtuduit opinionem peſſimi dogmatis de pec-

[d] *Lib. de pec. orig. c. 15.*

[a] Ibidem.

peccato originis. Fraudẽ detexit Augustinus[a].

Pelagium docuisse, liberum hominis arbitrium non egere, aut adjuvari veri nominis gratiâ, res erat æquè nota, atque invidiæ inter omnes flagrantissimæ. Ille autem in iisdem litteris questus est seriò[b], *esse, de quibus eum homines infamare conarentur*, ac imprimis, *Quod in tantum libero confideret arbitrio, ut gratiæ repudiaret adjutorium.* Adornavit verò fabulam suam graphicè: "Ecce, inquit, ad Beatitudinem tuam epistola ista me purget, in quâ purè, atque simpliciter ad peccandum, & non peccandum, integrum liberum arbitrium habere nos dicimus, quod in omnibus bonis operibus, Divino semper adjuvatur auxilio .... In omnibus est liberum arbitrium per naturam; sed in solis Christianis juvatur à gratiâ".

[b] lib. de grat. Christ. cap. 30. 31.

Non insistam augendo huic loco; quando Chamæleontes Hæreticos suis mox coloribus pingam studiosius, & spectandas exhibebo vafrorum hominum tergiversationes, vitilitigationes, amphibologias, mendacia, perjuria, quibus ad eludendos judices sunt instructissimi. Unum hic agebam, ut intelligerent Orthodoxi, quàm non deceat, se commoveri Hæreticorum querimoniis, hæresim sibi affingi expostulantium, famæque suæ detrahi; si quando inspersos verboso codici errores excerpserit quispiam, verbisque toti-

totidem expressos, exhibuerit omnibus bonis detestandos. Sed non libemus nihil ex recentiori historiâ.

Primùm grassante Luthero in Catholicam fidem, nihil erat certius, aut pervulgatius illâ doctrinâ, quâ abolitum ibat integritatem Confessionis in Sacramento Pœnitentiæ, docebatque liquidò [a], *non omnia peccata cordis esse confitenda ..... non simplices cogitationes, nec ipsas affectiones, nec ardorem libidinis, &c. sed ut summum ea, quæ pleni sunt consensus in opus*. Imò ne hæc quidem ipsa; adeòque nulla penitus peccata cordis; quod etsi videri cuperet in dubiis relinquere, probavit tamen operosè in eo opusculo, quod de confitendi ratione scripsit, dicens [b], *Confiteri peccata cordis occulta, ac sic soli Deo, & homini, qui fecit ea, cognita esse, suo judicio, penitus in judicium Dei manũ mittere, & forum Dei violare.*

a *Luth. opusc. de confitẽd. rat. num. 7.*

b *Ibid. n. 6.*

Post hęc prodit Erasmus, ad Albertum scribens Archiepiscopum Moguntinũ, graviterq; invehitur in eos Theologos, qui Luthero affinxerint dogmata hęretica [c]: "Quorum illud unum est, inquit: Lutherus scripserat, nos nõ teneri ad confitendum peccata mortalia, nisi manifesta; sentiens manifesta, quæ nobis essent nota. Id quidam Carmelita Theologus sic interptetans, quasi manifesta essent, quæ palam essent admissa, vociferatus est miris modis in re non intellecta". Ecce verò, judicio

c *Epist. ad Archiep. Mogunt.*

dicio Erasmi, hoc unum Lutherus docuerat, ea sola peccata esse confitenda, quæ nobis essent nota: de peccatis cordis nihil scripserat perversè: tum verò Theologos reprehendit graviter, plus aliquid Luthero tribuentes. Sed unum ex omnibus Carmelitam Theologum Lovaniensem Doctorem, ut videtur (nomen viri non proditur) reum agit calumniæ, atque ex jure manu consertum vocat ad Tribunal Archiepiscopi Moguntini, omnibusque Orthodoxis commune crimen (si crimen vocandum est, pravi dogmatis detestatio) in uno capite, incertum, quo, ulcisci parat.

Quàm verò graviter his commotum censemus Archiëpiscopum? Num Decretum expectamus, quo citari jubeat Carmelitam Lovanio Moguntiam? Imò credamus, respondisse Erasmo sapientem Præsulem, quod Luthero respondit opem imploranti adversus Theologos adversarios, de quorum calumniis erat conquestus: respondit verò in hanc formam [a]. "De lucubrationibus tuis „ modò censuram facere nostri non est consi„ lii; sed illud eorum judicio relinquere, qui „ nobis majores sunt, quos jure reveremur, „ quibusque tripodem meritò cedimus, quique „ hoc negotium expendendum, discutiendum„ que jam pridem susceperunt". Hæc Luthero Albertus Archiëpiscopus Moguntinus, & S.R.E.

[a] *Epist. ad Luth. quæ extat Tō. 2. oper. Luther.*

S.R.E. Cardinalis Presbyter, censens, nequaquam ad se pertinere causam fidei jam delatam ad S. Sedem.

Expostulationibus Hæreticorum honori, & famæ suæ detrahi exclamantium, dum sua sibi dogmata adscribuntur, ne commovere, Lector Christiane. Quæ sua agnoscunt dogmata aspersa libro, eadem sua infitiantur recitata, aut descripta è libro. Infitiantur verò, donec erit tutum agnoscere. Tantisper læsam sibi famam ejulant fraude pessimâ. Famæ Hæreticorum, qui studet, is frustra est: famam illis prostituerunt libri sui. Paucis absolvat S. Bernardus de Petro Abailardo ad Guidonem Cardinalem scribens [a], *Ego non eum accuso apud Patrem: est, qui eum accuset, liber suus.* [a] *Epist. 192.*

Errores ex Petri Abailardi libro excerptos ad Innocentium miserat idem Bernardus: nihil moratus est Innocentius Abailardi expostulationes: sed ad Bernardum scriptâ Epistola [b], "Dolemus, inquit, quoniam, sicut litterarum vestrarum inspectione, & missis à vestrâ Fraternitate nobis errorum capitulis, cognovimus, in novissimis diebus, quando instant tempora periculosa, in Petri Abailardi perniciosâ doctrinâ, & prædictorum hæreses, & alia perversa dogmata Catholicæ fidei obviantia pullulare cœperunt. Verùm in hoc maximè consolamur, & Omnipotenti Deo

[b] *Epist. 194.* *inter epist. S. Bern.*

„ Deo gratias agimus, qui in partibus noſtris „ pro Patribus tales filios ſuſcitavit .... qui „ novi Hæretici calumniis ſtudeant obvia- „ re". Hæc Innocentius. Atque hanc laudem ubi ferent, qui Hæreticorum errores in lucem protrahunt, ut nocere deſinant, ſuisque fucis liberos exhibent intuendos illis oculis, quos in Eccleſiâ vigiles decet eſſe, ibi verò ſperandum eſt, fore, ut in ortu ſuo contabeſcat hæreſis, penitusque evaneſcat.

FRAUS XIII.

Ne damnetur, aut damnati videantur, tergiverſari, vitilitigare loqui ambiguè, mentiri, pejerare.

Haud ineptè antiquus Scriptor Aponius [a] Hæreticorum Dialecticam appellavit *Tergiverſationem*. Eâ verò utuntur præcipuè, ubi calere vident judicia, impiisque dogmatibus imminere decretoriam ſententiam.

[a] *In Cāt. lib. 4. ſub fin.*

Fraudem hanc genuinis notis Athanaſius expreſſit, Euſebianos depingens [b]: " In comminiſcendis, inquit, vitilitigationibus, nihil „ alienum à pravitate ſuæ indolis faciunt. Ne„ que id mirum; cùm tam vario ſint, & verſi„ pelli animo, quàm Chamæleontes ſunt in mu-

[b] *Epiſt. de Synodi Nicæn. decret. cōtra Arian. hæreſ. in princ.*

mutandis coloribus; quippe quibus tantisper "
pudor adsit, dum refutantur, inopiâ, hæsita- "
tioneque respondendi: sed mox tamen, re- "
sumptâ audaciâ, ad causificationes fingendas "
recurrant: quos si denuo convincas, fatis- "
cunt illi quidem; verùm non diutius, quàm "
ut denuò ea, quæ nusquam sunt, audacius "
fingant, &, ut in psalmis est, inania cogitent, "
non aliâ de causâ, quàm ut in suâ hæresi per- "
durent". "

Porro quàm fuerint illi Chamæleontes ad omnem colorem faciles, tunc præcipuè patuit, cum Nicæam convenerant Trecenti decem, & octo Patres: inter quos Eusebiani Ario devoti. "Cum principio (Athanasii verbis [a] utar) in hæresi suâ contumaces in "
in Deum bella, pugnasque meditarentur...... "
Episcopi contrà, qui convenerant (erant au- "
tem illi plus minus Trecenti) placidè, & hu- "
maniter postulabant, ut suorum dictorum "
rationes redderent, seque non impios esse "
demonstrarent. Illi autem vix cœperant his- "
cere, cum jam & improbarentur, & ipsi quo- "
que inter se depugnarent, agnitâque suæ "
Hæreseos perplexitate, muti prorsus redde- "
bantur". "

[a] Epist. de Syn. Nicæn. Decret. cōtra Hæres. Arian.

Malè cesserant impiis hæc principia: videbant, actum esse de victoriâ, si fronte apertâ adversari tam multis pergerent. Statuerunt igitur remittendum aliquid de ardore, astuque

astuque & dolo utendum, non jam amplius cōtendendo, *Facturam quampiam de non entibus esse Dei Filium*; sed dando prorsus, illum [a] *Ex Deo esse, verbumq́ue, & Sapientiam esse; non facturam; sed germen proprium sui Patris*. Atque illi eo sensu, quo censebant, ad homines quoque eadem pertinere.

[a] Ibidem.

"Ibi ergò, inquit Athanasius [b], Patres „ anima dversâ illorum fraude, & impietatis „ vafricie, conati sunt clarioribus verbis ex„ponere, quid sit ex Deo esse, & scribere „ Filium ex substantiâ Dei esse .... eum „ veram esse potentiam, & imaginem Patris, & „ similem Patri, & immutabilem per omnia, „ & inconvertibilem, & æternum, & indivi„sum in Patre subsistere".

[b] Ibidem.

Momordit impios accuratio tanta; sed denique ingenio suo usi, hæc ipsa admittere omnia videri voluerunt: " Ita tamen, Athanasius inquit [c], ut deprehenderentur, inter„ sese mussitare, nutus conferre, occulisque „ sibi invicem applaudere; quasi illud simile „ esse, & in eo esse, & ejus potentiam esse, „ communia Filio nobiscum essent .... eò „ quod de similitudine nostrâ cum Deo scrip„tum habeatur, hominem esse & imaginem, „ & gloriam Dei".

[c] Ibidem.

Nihil rectum, nihil syncerum expectes ab Hæreticis hoc agentibus, ut & Orthodoxi videantur, & hæresim teneant. Quod animadvertentes

advertentes illi Patres, communi consilio, eoque divinitùs gubernato, vocem arripuerunt *Homousios*, ad quam nullus esset reliquus cavillationi locus: arripuerunt verò ex quâdam epistolâ Eusebii ipsius; de quo suprà[a] auditus est Ambrosius[b].

Unà resecandis tot capitibus Hydræ Arianæ par fuit vox illa; certè larvam detraxit Eusebianis, qui ad vocem istam nihil usi circuitione, negarunt se acquieturos, ostenderuntque mentem perversam, quâ superiora illa quamvis invita, detorserant in eum sensum, quem pateretur impietas Ariana.

Attamen profectò metus exilii à Constantino intentati ingenium acuit Eusebio Cæsariensi. Formulæ fidei, in quâ erat vox *Homousios*, seu *Consubstantialis*, nomen subscripsit, nullâ usus restrictione, quam verbis exprimeret: mox tamen ad Ecclesiam suam scribens[c] latentem animo fraudem aperuit sacrosanctæ vocis energiam turpissimè enervans, dum causatus est, arcanâ voce istâ fuisse opus, ne putaretur Filius Dei esse ex Patre ad modum rei corporeæ per divisionẽ, aut defectionem. Quid reconditi sensus Eusebiani cœteri sectati sint formulæ subscribentes, non habeo exploratum: minimè syncerè subscripsisse eventus docuit[d].

Arium quidem ipsum, atque Arii discipulos Enzoium, atque Achillam, simulatâ pœnitentiâ

[a] *Fraud. 4.*

[b] *De fide ad Gratian. lib 3. cap. ult.*

[c] *Socrat. lib. 1. cap. 5.*

[d] *Theod. hist lib. 1. cap. 7.*

nitentiâ formulæ ſubſcribentes, parùm fuiſſe ſollicitos, ut quid arcani ſenſus mente conciperent, credibilius mihi eſt: quid illi totius impietatis Architecti ſcrupulo ſibi ducerent, ſine ambagibus mentiri, ac pejerare? Attamen fama fuit, ut Socrates refert [a], Arium quidem, cùm ſubindè Conſtantinopoli coram Imperatore Conſtantino formulæ Nicænæ juratus ſubſcriberet, hâc uſum cautione, ut formulam quamdam impietate plenam, manuque propiâ ſignatam, geſtaret in ſinu, atque in hanc defixâ mente juraret, ita ſe credere, ut haberet formula, cui ſubſcripſerat. Hæc ſacrilegus ille in caput ſuum, perfidiæ capitalis ultorem Deum mox habiturus.

a Lib. 1. c. 25

Ario prudentiores videri voluerunt Ariani ferè cœteri, nihilo alioqui ſynceriores Ario. De multis videamus Valentem Murſenſem Epiſcopum, cujus vafritie luſi, inductique Patres Ariminenſes decretum condiderunt Eccleſiæ luctuoſiſſimum. Fraudi capitali prælußit in Syrmienſi Concilio, ubi cùm propoſita eſſet Fidei formula, quâ Dei Filius aſſerebatur Patri per omnia ſimilis [b], animadvertens homo peſſimus, nihil actum eſſe ejectâ voce *Homouſios*, ſi Patri diceretur Filius per omnia ſimilis, Formulæ ita ſubſcripſit, ut præfaretur quædam de mente ſuâ, nominiſque ſui ſubſcriptioni adderet iſtud modo

b Epiphan. hæreſ. 73. num. 22.

modo, *Filium Patri esse similem*, omissis vocibus *per omnia*. "Cùmque eâ re declarasset, inquit Epiphanius [a], quem in sensum eâ quę scripta fuerant, approbasset, ac quemadmodum Consubstantialis vocem intelligeret, Pius hoc Imperator observavit, & ut *per omnia* adjiceret, coëgit, idque ut jussus erat pręstitit": mentem suam explicaturus scilicet, ubi esset opportunum, de quâdam similitudine voluntatis omnimò conformis voluntati Patris; non etiam de similitudine substantiæ, & naturæ.

[a] *Suprà*

Ludus quidam Valentis hic fuit in Syrmiensi Synodo, præquam ea sunt, quæ Arimini mox dedit. De his quidem Hieronymum audire juvet [b]: "Cùm Claudius Episcopus Provinciæ Piceni ex præcepto omnium, blasphemias, quæ Valentis ferebantur, legere cœpisset, Valens suas esse negans exclamavit, & dixit: Si quis negat Christum Deum, Dei Filium, ante sæcula ex Patre genitum, anathema sit. Ab universis consonatum est; anathema sit: Si quis dixerit, creaturam Filium Dei, ut sunt cæteræ creaturæ; anathema sit. Similiter dictum est, anathema sit. Si quis dixerit; Erat tempus quando non erat Filius, anathema sit. In hoc verò cuncti Episcopi, & tota simul Ecclesia plausu quodam, & tripudio Valentis vocem exceperunt...... Cuncti Valentem ad cœlum laudibus tolle-

[b] *Contra Luciferianos*

„ bant............ His ita geſtis Concilium ſol-
„ vitur : læti omnes ad Provincias revertun-
„ tur............ Sed diu ſcelera non latent, &
„ cicatrix malè obducta, incocto pure dirum-
„ pitur. Cœperunt poſtea Valens, & Urſacius,
„ cœterique nequitiæ eorum ſocii, egregii
„ ſcilicet Chriſti Sacerdotes palmas ſuas jacta-
„ re, dicentes, ſe Filium non creaturam ne-
„ gaſſe, ſed ſimilem cæteris creaturis. Tunc
„ *Uſiæ* nomen abolitum eſt. Tunc Nicænæ
„ Fidei damnatio conclamata eſt. Ingemuit
„ totus Orbis, & Arianum ſe eſſe miratus eſt‟.
Hactenus Hieronymus. Videant Eccleſiæ Rectores exitum funeſtum, quem denique habere ſolent cavillationes Hæreticorum formulis Fidei ſubſcribentium, ſi vel diſſimulentur, vel minùs cautè obſerventur.

[a] *Epiſt.* 73.

"Habent illi, ut Baſilius obſervavit [a], aſtu-
„ tum quoddam dogma ad ejuſmodi mutatio-
„ nes paratum. Nam verbis fidei more medi-
„ corum utuntur pro commoditate, aliter,
„ atque aliter ſeſe ad affectionum rationem, ac
„ varietatem attemperantes‟.

Arianis de fraude eâdem nihil conceſſere Pelagiani: minimè omnium Pelagius ipſe, qui nè condemnaretur à Dioſpolitanâ Synodo, nihil non dixit, quod Orthodoxum deceret, abdito quodam mentis receſſu concludens arcanos ſenſus, quibus deindè ſalvam exhiberet impietatē omnem. Fraudem

Au-

Augustinus sæpè detestatus est, cùm alibi, tùm magnâ parte libri de peccato originali: "Dogma, inquit [a], iste damnavit, tamquam contrarium veritati, nè ipse à Catholicis judicibus damnaretur: & id sibi defendendum postea reservavit, aut mendaciter damnans, aut callidè interpretans". Atque hoc ille pacto, ut Augustinus observat [b], *Absolutionem suam fallendo furatus est.*

[a] *Lib. de pec. origin. c. 12.*

[b] *Ibid. c. 14.*

Fraudem Pelagii in illâ Synodo ipse prodidit Innocentius Pontifex [c] "Objecta, inquiens, partim ille vitando suppressit; partim multa in se verba retorquendo totâ obscuritate confudit; aliqua magis falsâ, quàm verâ ratione, ut ad tempus poterat videri, purgavit, negando alia, alia falsâ interpretatione vertendo".

[c] *Ibid. c. 9.*

Nos verò Pelagianæ fraudulentiæ specimina quædam intueamur propius. Pelagius Palæstinis Episcopis Diospoli hoc dedit, ut damnaret hæreticum dogma [d], quo diceretur, *Quod peccatum Adæ solùm ipsum læserit & non genus humanum.* Quid dubitarent illi Episcopi, quin fateretur peccatum Adami in humanum genus propagatione quâdam transfusum fuisse? Non hoc voluit; quod omninò debebat. Discipulis mox suis sic explicuit sese, ut fateretur, non tantùm primo homini, sed etiam humano generi primum illud obfuisse peccatum, non propagine; sed

[d] *Aug. lib. de gestis Pelagii cap. 33.*

„ bant............. His ita gestis Concilium sol-
„ vitur : læti omnes ad Provincias revertun-
„ tur............ Sed diu scelera non latent, &
„ cicatrix malè obducta, incocto pure dirum-
„ pitur. Cœperunt postea Valens, & Ursacius,
„ cœteriqne nequitiæ eorum socii, egregii
„ scilicet Christi Sacerdotes palmas suas jacta-
„ re, dicentes, se Filium non creaturam ne-
„ gasse, sed similem cæteris creaturis. Tunc
„ *Usiæ* nomen abolitum est. Tunc Nicænæ
„ Fidei damnatio conclamata est. Ingemuit
„ totus Orbis, & Arianum se esse miratus est".
Hactenus Hieronymus. Videant Ecclesiæ Rectores exitum funestum, quem denique habere solent cavillationes Hæreticorum formulis Fidei subscribentium, si vel dissimulentur, vel minùs cautè observentur.
"Habent illi, ut Basilius observavit [a], astu-
„ tum quoddam dogma ad ejusmodi mutatio-
„ nes paratum. Nam verbis fidei more medi-
„ corum utuntur pro commoditate, aliter,
„ atque aliter sese ad affectionum rationem, ac
„ varietatem attemperantes".

[a] *Epist.* 73.

Arianis de fraude eâdem nihil concessere Pelagiani: minimè omnium Pelagius ipse, qui nè condemnaretur à Diospolitanâ Synodo, nihil non dixit, quod Orthodoxum deceret, abdito quodam mentis recessu concludens arcanos sensus, quibus deindè salvam exhiberet impietatē omnem. Fraudem

Au-

Augustinus sæpè detestatus est, cùm alibi, tùm magnâ parte libri de peccato originali: "Dogma, inquit [a], iste damnavit, tamquam contrarium veritati, nè ipse à Catholicis judicibus damnaretur: & id sibi defendendum postea reservavit, aut mendaciter damnans, aut callidè interpretans". Atque hoc ille pacto, ut Augustinus observat [b], *Absolutionem suam fallendo furatus est.*

[a] *Lib. de pec. origin. c. 12.*

[b] *Ibid. c. 14.*

Fraudem Pelagii in illâ Synodo ipse prodidit Innocentius Pontifex [c] "Objecta, inquiens, partim ille vitando suppressit; partim multa in se verba retorquendo totâ obscuritate confudit; aliqua magis falsâ, quàm verâ ratione, ut ad tempus poterat videri, purgavit, negando alia, alia falsâ interpretatione vertendo".

[c] *Ibid. c. 9.*

Nos verò Pelagianæ fraudulentiæ specimina quædam intueamur propius. Pelagius Palæstinis Episcopis Diospoli hoc dedit, ut damnaret hæreticum dogma [d], quo diceretur, *Quod peccatum Adæ solùm ipsum læserit & non genus humanum.* Quid dubitarent illi Episcopi, quin fateretur peccatum Adami in humanum genus propagatione quâdam transfusum fuisse? Non hoc voluit; quod omninò debebat. Discipulis mox suis sic explicuit sese, ut fateretur, non tantùm primo homini, sed etiam humano generi primum illud obfuisse peccatum, non propagine; sed

[d] *Aug. lib. de gestis Pelagii cap. 33.*

exemplo. "Ideſt, inquit Auguſtinus[a], non
" quod ex illo traxerint aliquod vitium, qui
" ex illo propagati ſunt; ſed quod eum primum
" peccantem imitati ſunt omnes, qui poſteà
" peccaverunt". Ad quem locum, quàm rectè adnotarunt Lovanienſes; *Vide Hæreticam fraudulentiam.*

a Lib. de pec. orig. c. 15.

Non dubitavit in eâdem Synodo Articulum damnare, quo aſſereretur[b], *Quod infantes nuper nati in illo ſtatu ſint, quo fuit Adam ante prævaricationem.* Poterantne dubitare Epiſcopi, num infitiaretur, nuper natos infantes juſtitiâ originali præditos eſſe? Aliud voluit: Apud diſcipulos ſic mox eſt argutatus, ut diceret[c]. "Ideò infantes non in eo
" ſtatu eſſe, in quo fuit Adam ante prævarica-
" tionem, quia iſti præceptum capere nondum
" poſſunt; ille autem potuit, nondumque
" utuntur rationalis voluntatis arbitrio, &c".
" Hîc rursùm exclama: *Vide Hæreticam fraudulentiam*, vel cum Auguſtino[d]: *Mirare tam impudens* in Eccleſiaſtico judicio, & de tantâ quæſtione mendacium.

b Aug. de geſtis Pelag. cap. 33.

c Aug. lib. de pec. origin. cap. 15.

d Ibid. c. 14.

Objectum Pelagio fuit in eâdem Synodo[e], quod ſcripſerat, *Poſſe hominem, ſi velit, eſſe ſine peccato.* Quid ad hæc Pelagius? Profeſſus eſt, *hominem à peccatis converſum proprio labore; & Dei gratiâ poſſe eſſe ſine peccato:* Tùm verò anathema eis dixit, qui plus aſſererent. Acquieverunt Palæſtini Epiſcopi,

e Aug. de geſtis Pelag. cap. 6.

non

non itidem Augustinus, aliique plurimi ominantes, fore [a], "ut se hoc dixisse sine " præjudicio sui dogmatis exponeret postea " discipulis suis, ita differens: Dixi quidem " proprio labore, & Dei gratiâ posse homi- " nem esse sine peccato: sed quam dicam " gratiam, optimè nostis, & legendo reco- " lere potestis; scilicet eam, in quâ creati su- " mus à Deo cum libero arbitrio". Ominis minimè vani argumenta profert.

[a] *Ibid. c. 10.*

"Fefellit igitur, ut alibi Augustinus ait [b], judicium Palæstinum .... Romanam " verò Ecclesiam fallere usquequaque non po- " tuit, quamvis & hoc fuerit utcumque co- " natus". Addamus, neque fallere potuisse Antiochenam Synodum, de quo audiendus Marius Mercator, antiquus Scriptor, & Augustino æqualis. [c] "Hierosolymis, inquit, constitutus Pelagius accusatus fuit apud Synodum, & primò quidem tergiversando, " ambiguis quibusdam se professionibus te- " gens, & prosequens dubia, vel respondens, " illam tunc videtur Episcoporum audientiam " delusisse. sed postquam evidenter depre- " hensus, insistentibus accusatoribus, à poste- " riori Synodo, cui Sanctæ Memoriæ Theo- " dotus Antiochiæ præsedit Episcopus, atque " detectus, à Sanctis quoque, & Venerabilibus " Hierosolymorum locis est deturbatus". "

[b] *Lib. de pec. orig. cap. 8.*

[c] *Cōmonit. cap. 3.*

Porrò quod Augustinus aiebat, Pelagium

Romanam quoque Ecclesiam fallere conatum; fuit id conatus genere quodam fraudis tam exquisito, & subtili, ut acutissimis oculis notari vix posset. Litteras pariter, & libellum Fidei ad Innocentium misit eâ usus specie Orthodoxi Doctoris, ut propè abfuerit, quin ipsum falleret Augustinum. Fatetur id de se Augustinus[a], ubi de illis Pelagii litteris loquens, "Videte, inquit, latebras ambiguitatis
„ falsitati præparare refugia, offundendo cali-
„ ginem veritati, ita ut etiam nos, cùm primùm
„ ea legimus, recta, vel correcta propemodùm
„ gauderemus". Sed denique nihil hîc Pelagio profuit fraus tam subtilis, ut alibi explicui.

a Lib. de pec. origin. c. 18.

Solet Hęreticorum Doctorum ea esse calamitas, ut quod ipsi tectè, timidèque docent nè quis Orthodoxus audiat, id omne in lucem efferant minùs cauti discipuli. Sensit calamitatem Pelagius, parùm dissimulatè loquente Cœlestio. Undè ad Albinum, Pinianum, atque Melaniam scribens Augustinus[b]
„ "Attendite, inquit, quid Cœlestius apertissi-
„ mè dixerit, & ibi videbitis, quid vobis Pela-
„ gius occultaverit". Subdit impium Cœlestii
„ sermonem de Baptismo infantium: tum verò,
„ "Hunc sensum suum, ait, vobis aperire Pela-
„ gius vel timuit, vel erubuit, quem discipulus
„ ejus palam sine ullis obscuritatis ambagibus,
„ apud Sedem Apostolicam profiteri non ti-
„ muit, nec erubuit".

b Ibid. 6.

Neque

Neque tamen tam nullâ circumſpectione uſus eſt Cœleſtius, ut ſibi receptum ademerit, Hæreticis familiarem; ubi conclamatam vident cauſam ſuam; *Non dixi, non aſſerui; ſed diſſerui, ſed diſputavi*: protuli in medium quæ Patrum Codices, quæ Scripturæ Sacræ offerebant. Sic ille prorſus ſceleſtè [a]: "Si quæ præter fidem, inquiebat, quæſtiones natæ ſunt, de quibus eſſet inter pleroſque contentio; non ego quaſi autor alicujus dogmatis definitâ hoc autoritate ſtatui: ſed ea quæ de Prophetarum & Apoſtolorum fonte ſuſcepi, veſtri Apoſtolatus offerimus probanda judicio".

[a] *Ibid. c. 23.*

Hoc genus fraudis à Ruffino didicerat, uti alia permulta, qui proſeminatis totâ Urbe Origenis erroribus, cum adverſarios inveniſſet prævalidos, atque in his S. Hieronymum, unum tenuit mordicus; *Hoc ſentit Origenes*. Exquirenti Hieronymo [b]; *Bene ſentit, aut malè? Neſcio*, inquiebat, *jurans Deo teſte, quod uſque ad præſens certi, & definiti aliquid de hâc quæſtione non teneret*. Ad quæ Hieronymus; *Miraris, ſi contra te fratrum ſcandala concitentur, cum id neſcire te jures, quod Chriſti Eccleſiæ ſe noſſe fateantur.*

[b] *Apol. cõtra Ruffin. l. 2. cap. 2.*

Agnoſce, Lector, antiquitatem effugii Hæretici, quo multis pòſt ſæculis eſſent uſuri largiter Novatores cum Luthero, de quo Vlembergius [c], "Uſus eſt, inquit, & aliâ

[c] *In vita Luther. c. 3.*

„ aliâ quâdam fraude, quam Cardinalis Caje-
„ tanus Augustæ in ejus actionibus deprehen-
„ dit. Si urgeretur pressius, protestabatur, se
„ ea quæ aliena erant à receptis in Ecclesiâ
„ dogmatibus, inquirendæ veritatis gratiâ, non
„ asserendi animo proposuisse: in concionibus
„ verò ad populum, & alibi, ubi applausum
„ invenit, eadem ipsa constanter asseruit, ve-
„ lut ipsam veritatem". Sed de Luthero, ejus-
que assectis Hæreticis mox plura.

Pelagianos, qui nos diu sunt morati, omnes absolvat Leo Papa in eâ epistolâ, quam ad Nicetam scripsit [a], ubi primùm quidem gravissimis verbis redarguit oscitantiam Episcoporum in admittendis ad communionem Pelagianis, & Cœlestianis, nullam exigentium damnationem proprii erroris: tum verò mandat, præscribi illis formulam fidei accuratissimam: "Nihil, inquit, in verbis
„ eorum obscurum, nihil inveniatur ambi-
„ guum. Quoniam novimus, hanc istorum
„ esse versutiam, ut in quâcumque particulâ
„ dogmatis execrandi, quâ se à damnatorum
„ societate discreverint, nihil sibi sensuum suo-
„ rum existiment esse non salvum. Cumque
„ omnes definitiones suas ad tantam facilita-
„ tem improbare se simulent, atque depone-
„ re, hoc tibi totâ fallendi arte, nisi intelligan-
„ tur, excipiant; ut gratia Dei secundum me-
„ ritum dari accipientium sentiatur, &c".

[a] Epist. 86.

Habet

Habet alia non pauca ista Leonis epistola, quæ cautos reddant Ecclesiæ Præsules in negotio difficili; ubi se ad subscribendum formulis Fidei sistunt Hæretici. Hic ille est temporis articulus, in quo cavendum sedulò à Priscillianistarum axiomate [a], latè pervagato per alias quoque sectas; *Iura, perjura, secretum prodere noli*; arcanum, inquam, mentis sensum postea prodendum, cum usus venerit.

[a] *August. de Hæres. c. 70.*

Ne longior opinione fiat hic locus, transiliamus plurima, atque Hæreticos nobis ætate conjunctiores videamus. Unum egere omnes pari artificio, ne vel damnaretur, vel damnata videretur impietas, quam deperibant: In omnes convenit illud Justiniani [b]. "Solent Hæretici, ut simpliciores decipiant, vocibus quidem uti, quæ ab Orthodoxis piè dicuntur; rectum autem eorum intellectum, & expositionem ad suam impietatem transferre". Specimina libemus quædam à Wicleffo, Luthero, Calvino, horumque Discipulis.

[b] *In edicto de tribus Capit.*

Belluinum dogma peremptam astruens peccato Adami humanam libertatem, quis non intelligeret ab Ecclesiâ totâ damnatissimum? Caverunt igitur illi, ne tale videretur. Primum quidem non dubitarunt necessitatem asserere absolutam futurorũ eventuum. Hîc verò actum esse de humanâ libertate si excla-

exclames, illi te ſimplicem nimium irrident.
a *Tom. 1. l. 1. cap. 22.* "Wicleffiſtæ quidem, ut Waldenſis narrat a,
„ trutinantes gloſſam evaſoriam reſpondent,
„ quod Deus non neceſſitat neceſſitate coa-
„ ctionis ad bonum, vel malum futurum; quia
„ illa ſola tollit arbitrii dignitatem: non autem
„ alia neceſſitas præveniens abſolutè futuritio-
„ nem effectus".

His conſentanea Lutherus reſpondet eo libro, quem de ſervo arbitrio inſcripſit. Te verò etiam turpiter falli affirmat Lutheri diſcipulus Hieronymus Zanchius b, qui exiſtimes, liberum arbitrium à Lutheranis negari: etenim nativam humanæ voluntatis libertatem in eo ſitam eſſe, quod, quidquid vult, ſine coactione velit, & nolit. Calvinus ipſe tantus libertatis hoſtis vulgò creditus c, "Si

b *Lib. 1. tract. Theol. c. 6.*

c *Lib. 2. in Pighium.*

„ coactioni, inquit, opponitur libertas, libe-
„ rum eſſe arbitrium & fateor, & conſtanter
„ aſſevero: ac pro Hæretico habeo, quiſquis
„ ſecus ſentiat". Etiam amplius libertatem ſonant Calvini diſcipuli, Beza, Chamierus, Piſcator: ſed immorari non licet.

Illi verò, inquies, parum conſuluerunt ſibi, ne damnati viderentur, qui neceſſitate quâdam devinxere voluntates noſtras, facultatem eligendi verſatilem, ſeu indifferentiæ libertatem ablegantes: unde ſit conſequens neceſſitas ad peccandum, aliaque damnatiſſima.

Nequa-

Nequaquam contempſerunt hanc invidiam vafri homines, inveneruntque indifferentiæ quiddam, quo neceſſitatem ipſam velarent. Primum quidem Adamum conſtituerunt liberum utrimlibet, ſeu indifferenter: peccavit Adam libertate iſtâ, noſque in Adamo: hujus peccati pœna eſt neceſſitas peccandi; en igitur peccata noſtra, ut pendent ab indifferenti libertate; ſed Adami, in quo peccavimus. Habes, Lector, cogitationem ſubtilem Calvini [a], à quo eam accepere Beza [b], Chamierus [c], Pareus [d], cæterique paſſim Calvini diſcipuli.

Spuriam libertatis indifferentiam excogitarunt aliam, aliamque. Celebris eſt illa, quam Wicleffus invenit, poſterique Hæretici arripuerunt avidè: Non obeſt libertati neceſſitas: poteſt enim contra niti voluntas, *ſi velit*. Hæc argutia tam fuit familiaris Wicleffo, ut eam Waldenſis appellare non dubitaverit [e] *gloſſam communem Wicleffi, & generale emplaſtrum*. Tum verò hæreticam indifferentiam exagitat acutè, lepidèque: " Sub hâc, inquit, gloſsâ communi; *Poteſt, ſi vult*, " ſedent omnes Wicleffiſtæ ſecuri, non tamen " ſicut Elias ſub juniperi umbrâ; ſed ſicut Jo- " nas ſub hederâ. Accedat igitur vermis ille, " qui eſt prima veritas, mentiar, ſi radices hu- " jus gloſſæ non comedat; unde herba ma- " reſcat. Cur negas, Deum poſſe majorare " mun-

[a] *Lib. 2. Inſtit. cap. 5.*
[b] *Lib. quæſt. Chriſt.*
[c] *Tom. 3. lib. 3. cap. 2.*
[d] *Lib. 5. c. 27*
[e] *Tom. 1. lib. 1. cap. 15.*

„ mundum, quod tamen poteſt, ſi, cum vult, poteſt? Non, inquis, Cur hoc? Quia non vult, & nihil poteſt, niſi volens. Jam ecce ſuppoſui tibi quod velit. Non, inquis, poteſt velle: ſed ſi vult, poteſt, &c". Prô Vitilitigatorem graphicum. Imitatores habuit Lutherum [a], Rivetum [b], & quos non Hæreticos libertatis hoſtes?

[a] *Lib. de ſervo arbitrio.*
[b] *Sum. controv. tract. 4. quæſt. 3.*

Hæreticæ doctrinæ aſſerentium voluntati neceſſitatem ad volendum, fœtus eſt genuinus, quod aiunt, *Impoſſibilia Deus jubet, &c.* Dogma truculentum, atque ipſo naturæ horrore damnatum! Nihil ne habeant Hæretici, quo iſtud molliant, ut quod eſſe aiunt impoſſibile; quoquo modo exhibeant poſſibile? Habuit Calvinus, atque hoc Magiſtro permulti: "Si quis, inquit [c], diſceptare „ cum Deo velit, & hoc prætextu judicium „ ſubterfugere, quoniam aliter non potuerit: „ habet paratam reſponſionem, non ex crea„ tione eſſe, ſed naturæ corruptelâ......... Undè „ enim iſta, quam improbi libenter prætexunt, „ impotentia? niſi, quod Adam ultrò ſe dia„ boli tyrannidi addixit"? Hæc eadem inculcat contra Pighium ſcribens [d], occinuntque omnes & Calvini, & Luteri diſcipuli: cæteris verò diligentius Theodorus Beza [e], & Hieronymus Zanchius [f]. Hunc audiamus: "Nihil ſimpliciter, & per ſe impoſſibile præcipit

[c] *Lib. 2. Inſtit. c. 5.*
[d] *Lib. 4.*
[e] *Lib. de ætern. Præd.*
[f] *Tract Theolog. l. 1. c. 6.*

cipit Deus: nam vires dederat homini, qui- "
bus omnia Dei mandata servare potuisset, si "
voluisset. Quod igitur fiant impossibilia ho- "
mini corrupto, hoc est ex accidenti". Quasi "
dicat; "Potuit homo in statu innocentiæ "
constitutus plenè & perfectè implere præ- "
ceptum, quod autem pessimâ suâ voluntate, "
per quam excidit statu innocentiæ, se con- "
jecerit in quamdam impotentiam, quam & "
voluntate continuat, fruendo creaturis, qui- "
bus jam non potest non frui, ideò non tene- "
tur natura suas immutare leges, &c". His illi "
prestigiis doctrinam terrificam mollire sunt conati, nè, quod est reipsâ, naturæ ipsius judicio damnata videretur.

Viam insistunt eandem, ut mitigent ferociam dogmatis, de peccatis ignorantiæ. Primum quidem cum Luthero [a] Ignorantiam sic distinguunt, ut alia sit juris naturæ, quæ neminem excuset; alia juris positivi, & facti, quæ excuset. Tùm verò, quia per se apparet immane dictu, quempiam in eo peccare, quod penitùs ignorat esse peccatum, ut alibi libertatem Adami peccantis, sic & hoc loco scientiam appellant Adami ejusdem.

[a] *In cap. 12. Genes.*

Pro omnibus audiatur Hieronymus Zanchius [b] ex disciplinâ Lutheri pariter, & Calvini institutus Doctor. Distinxerat ignorantiam rerum, quas jure naturæ scire tene-

[b] *Trac. Theol. l. 1. cap. 12.*

mur

exemplo. "Ideſt, inquit Auguſtinus[a], non „ quod ex illo traxerint aliquod vitium, qui „ ex illo propagati ſunt; ſed quod eum primum „ peccantem imitati ſunt omnes, qui poſteà „ peccaverunt". Ad quem locum, quàm rectè adnotarunt Lovanienſes; *Vide Hæreticam fraudulentiam.*

a *Lib. de pec. orig. c. 15.*

Non dubitavit in eâdem Synodo Articulum damnare, quo aſſereretur[b], *Quod infantes nuper nati in illo ſtatu ſint, quo fuit Adam ante prævaricationem.* Poterantne dubitare Epiſcopi, num infitiaretur, nuper natos infantes juſtitiâ originali præditos eſſe? Aliud voluit: Apud diſcipulos ſic mox eſt argutatus, ut diceret[c]. "Ideò infantes non in eo „ ſtatu eſſe, in quo fuit Adam ante prævarica„ tionem, quia iſti præceptum capere nondum „ poſſunt; ille autem potuit, nondumque „ utuntur rationalis voluntatis arbitrio, &c". Hîc rurſùm exclama: *Vide Hæreticam fraudulentiam*, vel cum Auguſtino[d]: *Mirare tam impudens* in Eccleſiaſtico judicio, & de tantâ quæſtione mendacium.

b *Aug. de geſtis Pelag. cap. 33.*

c *Aug. lib. de pec. origin. cap. 15.*

d *Ibid. c. 14.*

Objectum Pelagio fuit in eâdem Synodo[e], quod ſcripſerat, *Poſſe hominem, ſi velit, eſſe ſine peccato.* Quid ad hæc Pelagius? Profeſſus eſt, *hominem à peccatis converſum proprio labore; & Dei gratiâ poſſe eſſe ſine peccato:* Tùm verò anathema eis dixit, qui plus aſſererent. Acquieverunt Palæſtini Epiſcopi,

e *Aug. de geſtis Pelag. cap. 6.*

non

non itidem Augustinus, aliique plurimi ominantes, fore[a], "ut se hoc dixisse sine praejudicio sui dogmatis exponeret postea discipulis suis, ita disserens: Dixi quidem proprio labore, & Dei gratiâ posse hominem esse sine peccato: sed quam dicam gratiam, optimè nostis, & legendo recolere potestis; scilicet eam, in quâ creati sumus à Deo cum libero arbitrio". Ominis minimè vani argumenta profert.

"Fefellit igitur, ut alibi Augustinus ait[b], judicium Palæstinum .... Romanam verò Ecclesiam fallere usquequaque non potuit, quamvis & hoc fuerit utcumque conatus". Addamus, neque fallere potuisse Antiochenam Synodum, de quo audiendus Marius Mercator, antiquus Scriptor, & Augustino æqualis. [c] "Hierosolymis, inquit, constitutus Pelagius accusatus fuit apud Synodum, & primò quidem tergiversando, ambiguis quibusdam se professionibus tegens, & prosequens dubia, vel respondens, illam tunc videtur Episcoporum audientiam delusisse. sed postquam evidenter deprehensus, insistentibus accusatoribus, à posteriori Synodo, cui Sanctæ Memoriæ Theodotus Antiochiæ præsedit Episcopus, atque detectus, à Sanctis quoque, & Venerabilibus Hierosolymorum locis est deturbatus".

Porrò quod Augustinus aiebat, Pelagium

a Ibid. c. 10.

b Lib. de pec. orig. cap. 8.

c Cõmonit. cap. 3.

Romanam quoque Ecclesiam fallere conatum; fuit id conatus genere quodam fraudis tam exquisito, & subtili, ut acutissimis oculis notari vix posset. Litteras pariter, & libellum Fidei ad Innocentium misit eâ usus specie Orthodoxi Doctoris, ut propè abfuerit, quin ipsum falleret Augustinum. Fatetur id de se Augustinus [a], ubi de illis Pelagii litteris loquens, "Videte, inquit, latebras ambiguitatis
„ falsitati præparare refugia, offundendo cali-
„ ginem veritati, ita ut etiam nos, cùm primùm
„ ea legimus, recta, vel correcta propemodùm
„ gauderemus". Sed denique nihil hîc Pelagio profuit fraus tam subtilis, ut alibi explicui.

a Lib. de pec. origin. c. 18.

Solet Hęreticorum Doctorum ea esse calamitas, ut quod ipsi tectè, timidèque docent nè quis Orthodoxus audiat, id omne in lucem efferant minùs cauti discipuli. Sensit calamitatem Pelagius, parùm dissimulatè loquente Cœlestio. Undè ad Albinum, Pinianum, atque Melaniam scribens Augustinus [b]
„ "Attendite, inquit, quid Cœlestius apertissi-
„ mè dixerit, & ibi videbitis, quid vobis Pela-
„ gius occultaverit". Subdit impium Cœlestii
„ sermonem de Baptismo infantium: tum verò,
„ "Hunc sensum suum, ait, vobis aperire Pela-
„ gius vel timuit, vel erubuit, quem discipulus
„ ejus palam sine ullis obscuritatis ambagibus,
„ apud Sedem Apostolicam profiteri non ti-
„ muit, nec erubuit".

b Ibid. 6.

Neque

Neque tamen tam nullâ circumſpectione uſus eſt Cœleſtius, ut ſibi receptum ademerit, Hæreticis familiarem; ubi conclamatam vident cauſam ſuam; *Non dixi, non aſſerui; ſed diſſerui, ſed diſputavi*: protuli in medium quæ Patrum Codices, quæ Scripturæ Sacræ offerebant. Sic ille prorſus ſceleſtè [a]: "Si quæ præter fidem, inquiebat, quæſtiones natæ ſunt, de quibus eſſet inter pleroſque contentio; non ego quaſi autor alicujus dogmatis definitâ hoc autoritate ſtatui: ſed ea quæ de Prophetarum & Apoſtolorum fonte ſuſcepi, veſtri Apoſtolatus offerimus probanda judicio".

[a] *Ibid. c. 23.*

Hoc genus fraudis à Ruffino didicerat, uti alia permulta, qui proſeminatis totâ Urbe Origenis erroribus, cum adverſarios inveniſſet prævalidos, atque in his S. Hieronymum, unum tenuit mordicus; *Hoc ſentit Origenes*. Exquirenti Hieronymo [b]; *Bene ſentit, aut malè? Neſcio*, inquiebat, *jurans Deo teſte, quod uſque ad præſens certi, & definiti aliquid de hâc quæſtione non teneret*. Ad quæ Hieronymus; *Miraris, ſi contra te fratrum ſcandala concitentur, cum id neſcire te jures, quod Chriſti Eccleſiæ ſe noſſe fateantur.*

[b] *Apol. cōtra Ruffin. l. 2. cap. 2.*

Agnoſce, Lector, antiquitatem effugii Hæretici, quo multis pòſt ſæculis eſſent uſuri largiter Novatores cum Luthero, de quo Vlembergius [c], "Uſus eſt, inquit, & aliâ

[c] *In vita Luther. c. 3.*

„ aliâ quâdam fraude, quam Cardinalis Caje-
„ tanus Augustæ in ejus actionibus deprehen-
„ dit. Si urgeretur pressius, protestabatur, se
„ ea quæ aliena erant à receptis in Ecclesiâ
„ dogmatibus, inquirendæ veritatis gratiâ, non
„ asserendi animo proposuisse: in concionibus
„ verò ad populum, & alibi, ubi applausum
„ invenit, eadem ipsa constanter asseruit, ve-
„ lut ipsam veritatem". Sed de Luthero, ejusque asseclis Hæreticis mox plura.

Pelagianos, qui nos diu sunt morati, omnes absolvat Leo Papa in eâ epistolâ, quam ad Nicetam scripsit[a], ubi primùm quidem gravissimis verbis redarguit oscitantiam Episcoporum in admittendis ad communionem Pelagianis, & Cœlestianis, nullam exigentium damnationem proprii erroris: tum verò mandat, præscribi illis formulam fidei accuratissimam: "Nihil, inquit, in verbis
„ eorum obscurum, nihil inveniatur ambi-
„ guum. Quoniam novimus, hanc istorum
„ esse versutiam, ut in quâcumque particulâ
„ dogmatis execrandi, quâ se à damnatorum
„ societate discreverint, nihil sibi sensuum suo-
„ rum existiment esse non salvum. Cumque
„ omnes definitiones suas ad tantam facilita-
„ tem improbare se simulent, atque depone-
„ re, hoc tibi totâ fallendi arte, nisi intelligan-
„ tur, excipiant; ut gratia Dei secundum me-
„ ritum dari accipientium sentiatur, &c".

[a] Epist. 86.

Habet

Habet alia non pauca iſta Leonis epiſtola, quæ cautos reddant Eccleſiæ Præſules in negotio difficili; ubi ſe ad ſubſcribendum formulis Fidei ſiſtunt Hæretici. Hic ille eſt temporis articulus, in quo cavendum ſedulò à Priſcillianiſtarum axiomate [a], latè pervagato per alias quoque ſectas; *Iura, perjura, ſecretum prodere noli*; arcanum, inquam, mentis ſenſum poſtea prodendum, cum uſus venerit.

[a] *Auguſt. de Hæreſ. c. 70.*

Ne longior opinione fiat hic locus, tranſiliamus plurima, atque Hæreticos nobis ætate conjunctiores videamus. Unum egere omnes pari artificio, ne vel damnaretur, vel damnata videretur impietas, quam deperibant: In omnes convenit illud Juſtiniani [b]. "Solent Hæretici, ut ſimpliciores decipiant, vocibus quidem uti, quæ ab Orthodoxis piè dicuntur; rectum autem eorum intellectum, & expoſitionem ad ſuam impietatem transferre". Specimina libemus quædam à Wicleffo, Luthero, Calvino, horumque Diſcipulis.

[b] *In edicto de tribus Capit.*

Belluinum dogma peremptam aſtruens peccato Adami humanam libertatem, quis non intelligeret ab Eccleſiâ totâ damnatiſſimum? Caverunt igitur illi, ne tale videretur. Primum quidem non dubitarunt neceſſitatem aſſerere abſolutam futurorũ eventuum. Hîc verò actum eſſe de humanâ libertate ſi excla-

exclames, illi te simplicem nimium irrident.

a Tom. 1. l. 1. cap. 22.

" Wicleffistæ quidem, ut Waldensis narrat [a],
" trutinantes glossam evasoriam respondent,
" quod Deus non necessitat necessitate coa-
" ctionis ad bonum, vel malum futurum; quia
" illa sola tollit arbitrii dignitatem: non autem
" alia necessitas præveniens absolutè futuritio-
" nem effectus".

His consentanea Lutherus respondet eo libro, quem de servo arbitrio inscripsit. Te verò etiam turpiter falli affirmat Lutheri discipulus Hieronymus Zanchius [b], qui existimes, liberum arbitrium à Lutheranis negari: etenim nativam humanæ voluntatis libertatem in eo sitam esse, quod, quidquid vult, sine coactione velit, & nolit. Calvinus ipse tantus libertatis hostis vulgò creditus [c], "Si
" coactioni, inquit, opponitur libertas, libe-
" rum esse arbitrium & fateor, & constanter
" assevero: ac pro Hæretico habeo, quisquis
" secus sentiat". Etiam amplius libertatem sonant Calvini discipuli, Beza, Chamierus, Piscator: sed immorari non licet.

b Lib. 1. tract. Theol. c. 6.

c Lib. 2. in Pighium.

Illi verò, inquies, parum consuluerunt sibi, ne damnati viderentur, qui necessitate quâdam devinxere voluntates nostras, facultatem eligendi versatilem, seu indifferentiæ libertatem ablegantes: unde sit consequens necessitas ad peccandum, aliaque damnatissima.

Nequa-

Nequaquam contempſerunt hanc invidiam vaſri homines, invenerúntque indifferentiæ quiddam, quo neceſſitatem ipſam velarent. Primum quidem Adamum conſtituerunt liberum utrimlibet, ſeu indifferenter: peccavit Adam libertate iſtâ, noſque in Adamo: hujus peccati pœna eſt neceſſitas peccandi; en igitur peccata noſtra, ut pendent ab indifferenti libertate; ſed Adami, in quo peccavimus. Habes, Lector, cogitationem ſubtilem Calvini [a], à quo eam accepere Beza [b], Chamierus [c], Pareus [d], cæterique paſſim Calvini diſcipuli.

[a] *Lib. 2. Inſtit. cap. 5.*
[b] *Lib. quæſt. Chriſt.*
[c] *Tom. 3. lib. 3. cap. 2.*
[d] *Lib. 5, c. 27*

Spuriam libertatis indifferentiam excogitarunt aliam, aliamque. Celebris eſt illa, quam Wicleffus invenit, poſteríque Hæretici arripuerunt avidè: Non obeſt libertati neceſſitas: poteſt enim contra niti voluntas, *ſi velit*. Hæc argutia tam fuit familiaris Wicleffo, ut eam Waldenſis appellare non dubitaverit [e] *gloſſam communem Wicleffi, & generale emplaſtrum*. Tum verò hæreticam indifferentiam exagitat acutè, lepidèque: " Sub hâc, inquit, gloſsâ communi; *Poteſt, ſi vult*, " ſedent omnes Wicleffiſtæ ſecuri, non tamen " ſicut Elias ſub juniperi umbrâ; ſed ſicut Jo- " nas ſub hederâ. Accedat igitur vermis ille, " qui eſt prima veritas, mentiar, ſi radices hu- " jus gloſſæ non comedat; unde herba ma- " reſcat. Cur negas, Deum poſſe majorare "

[e] *Tom. 1. lib. 1. cap. 15.*

mun-

„ mundum, quod tamen poteſt, ſi, cum
„ vult, poteſt? Non, inquis, Cur hoc?
„ Quia non vult, & nihil poteſt, niſi vo-
„ lens. Jam ecce ſuppoſui tibi quod velit.
„ Non, inquis, poteſt velle: ſed ſi vult, po-
„ teſt, &c". Prô Vitilitigatorem graphicum. Imitatores habuit Lutherum [a], Rivetum [b], & quos non Hæreticos libertatis hoſtes?

[a] *Lib. de ſervo arbitrio.*
[b] *Sum. controv. tract. 4. quæſt. 3.*

Hæreticæ doctrinæ aſſerentium voluntati neceſſitatem ad volendum, fœtus eſt genuinus, quod aiunt, *Impoſſibilia Deus jubet, &c.* Dogma truculentum, atque ipſo naturæ horrore damnatum! Nihil ne habeant Hæretici, quo iſtud molliant, ut quod eſſe aiunt impoſſibile; quoquo modo exhibeant poſſibile? Habuit Calvinus, atque hoc Magiſtro permulti: "Si quis, inquit [c], diſceptare
„ cum Deo velit, & hoc prætextu judicium
„ ſubterfugere, quoniam aliter non potuerit:
„ habet paratam reſponſionem, non ex crea-
„ tione eſſe, ſed naturæ corruptelâ......... Undè
„ enim iſta, quam improbi libenter prætexunt,
„ impotentia? niſi, quod Adam ultrò ſe dia-
„ boli tyrannidi addixit"? Hæc eadem inculcat contra Pighium ſcribens [d], occinuntque omnes & Calvini, & Luteri diſcipuli: cæteris verò diligentius Theodorus Beza [e], & Hieronymus Zanchius [f]. Hunc audiamus: "Nihil ſimpliciter, & per ſe impoſſibile præcipit

[c] *Lib. 2. Inſtit. c. 5.*
[d] *Lib. 4.*
[e] *Lib. de æterno Præd.*
[f] *Tract. Theolog. l. 1. c. 6.*

cipit Deus: nam vires dederat homini, quibus omnia Dei mandata servare potuisset, si voluisset. Quod igitur fiant impossibilia homini corrupto, hoc est ex accidenti". Quasi dicat; "Potuit homo in statu innocentiæ constitutus plenè & perfectè implere præceptum, quod autem pessimâ suâ voluntate, per quam excidit statu innocentiæ, se conjecerit in quamdam impotentiam, quam & voluntate continuat, fruendo creaturis, quibus jam non potest non frui, ideò non tenetur natura suas immutare leges, &c". His illi prestigiis doctrinam terrificam mollire sunt conati, nè, quod est reipsâ, naturæ ipsius judicio damnata videretur.

Viam insistunt eandem, ut mitigent ferociam dogmatis, de peccatis ignorantiæ. Primum quidem cum Luthero [a] Ignorantiam sic distinguunt, ut alia sit juris naturæ, quæ neminem excuset; alia juris positivi, & facti, quæ excuset. Tùm verò, quia per se apparet immane dictu, quempiam in eo peccare, quod penitùs ignorat esse peccatum, ut alibi libertatem Adami peccantis, sic & hoc loco scientiam appellant Adami ejusdem.

Pro omnibus audiatur Hieronymus Zanchius [b] ex disciplinâ Lutheri pariter, & Calvini institutus Doctor. Distinxerat ignorantiam rerum, quas jure naturæ scire tenemur

[a] *In cap. 12. Genes.*

[b] *Trac. Theol. l. 1. cap. 12.*

tenur, alteramque rerum, quas ſcire non tenemur: concludens verò, "Summa, inquit:
„ omnis ignorantia eorum, quæ quis ſcire te-
„ netur, peccatum eſt: quia cum lege, quâ
„ jubemur illa cognoſcere, pugnat; ſivè ea
„ cognoſcere jam poſſis, ſivè non poſſis. Quod
„ enim jam non poſſis, peccato Adæ, quod
„ & tuum eſt, quia in eo omnes peccaverunt,
„ factum eſt. Quare falluntur Scholaſtici, cùm
„ talem ignorantiam, quam invincibilem vo-
„ cant, ideò à peccato excuſant, quia invinci-
„ bilis eſt, ut loquuntur: quamquam evincere
„ etiam poſſumus, eam non eſſe ſimpliciter
„ invincibilem, cùm voluntarium Adæ pecca-
„ tum ſit conſecuta". Sic efferati ingenii Doctores, hoc unum metuentes, nè damnentur ſententiâ Mundi totius, deſcendere gaudent ad quamdam ſpeciem humanitatis, & lenitatis.

Aliam, aliamque ſpeciem accerſent, cùm uſus venerit. Non habet pauciores linguas hydra, cujus fraudes detegimus, quàm capita. Imò, ut eâ utar ſimilitudine, quæ Oro-
a Apol. c. 1. ſio placuit [a], Serpentis ingenio præditi ſunt
„ Hæretici, qui "cùm tuendi ſolius capitis
„ causâ reliquum concisioni, atque injuriæ
„ corpus opponit, nihil damni arbitratur, eâ
„ tantùm ſui parte à periculo liberâ, quæ mul-
„ timodas, venenataſque in ſe obtinet linguas,
„ etiamſi membris omnibus amputetur".


Vos

Vos, ô! Quos Orthodoxæ fidei assertores Ecclesiæ suæ Deus providit, quibus profligandæ perfidiæ hæreticæ grave munus impositum, vos caput, atque os ipsum Stygii Serpentis decet inspicere oculis solicitis, penitusque rimari *multimodas, venenatasq́ linguas*, ad ipsas usque fauces, imasque radices. *Os peccatoris, & os dolosi super vos apertum est* [a]. Linguas ostendi multiformes tergiversantium, vitilitigantium, mentientium, pejerantium Hæreticorum, nè damnentur: caput ipsum Serpentis suâ solvendum est compage, ut nocere desinat Serpens, & Linguæ ipsæ tot fraudum architectæ convulsis radicibus conticescant.


[a] *Psal. 108.*



ANACE-



ANACEPHALÆOSIS
II. PARTIS.



HABES, Lector, eas Fraudes, quibus hoc agit Hæreticorum Pater Diabolus, nè ſacro Anathemate profligetur Hæreſis. Sunt eæ, ſi attenderis, haud parùm diverſæ ab illis, quas primâ Parte hujus operis perſecutus ſum, proſeminandis erroribus idoneas. Illis quidem quàm proba, quàm religioſa, quàm modeſta, & blanda prodibat Hæreſis! Aliæ res, alios mores poſtulant. Animadvertens ſtygius artifex, prolem ſibi cariſſimam periclitari à diro fulmine Eccleſiæ, procul juſſit faceſſere illas ſuas virtutes plerasque, atque huic omni fuco ſuccedere ſuperbiam, jactantiam, maledicentiam, minas, rabiem, violentiam; hoc agens planè, ut Eccleſiæ ipſi terribiles eſſent Hæretici; nè quid illa auderet contra perfidiam.

Primùm

a Primùm igitur illi quidem ex Diaboli disciplinâ cervicem erigunt, inflantque sese, & Gigantes quidam videri affectant, quos juxta positi cæteri mortales Pygmæorum instar habeant. Quidquid in mundi totius complexu per omnes sæculorum ætates lusit sapientiæ, ad unam quampiam Hæreticorum sectam migrasse dicas. a *Fraus 1.*

b Tùm verò sectæ ipsius Antistitem quàm Divinum hominem producunt? Ad unius viri pectus Patrum omnium eruditio, & Scripturarum Sacrarum arcana convenerunt, ut in domum suam. Nihil ille scripsit, nihil dixit, nisi instinctu quodam, inflatuque divino. Hujus proindè dogmatibus (sic illi censent) nihilò plus metuendum, quàm Scripturæ Sacræ testimoniis, quàm totius Antiquitatis, ipsiusque Augustini certissimis placitis. b *Fraus 2.*

c Etenim quam accepere doctrinam à suo Patriarchâ, eam Scripturæ Sacræ autoritate ornant tam variâ, ut omninò confidant, non posse ad illam pervenire infortunium, aut infamiam, nisi Scripturæ ipsius acerbâ læsione, aut dedecore. c *Fraus 3.*

d Quin etiam antiquitatem omnem, atque Ecclesiæ antiquæ copias conjuratas prædicant ad ferendam opem laboranti d *Fraus 4.*

 doctrinæ:

a Fraus 5. doctrinæ: [a] ac denique Augustinum ipsum magnis agminibus parem, & nomen suum, & autoritatem omnem periclitaturum, ne quid illa detrimenti patiatur.

Tantis illi præsidiis, imò nominibus, confisi, etiam dementius se efferunt, neque desperant, subdi posse libidini suæ Episcopos, Romam, Romanumque Pontificem.

b Fraus 6. [b] Primùm quidem inferiores Ecclesiæ Præsules circumveniunt, ut approbationes auferant impiorum dogmatum, vel abstulisse videantur. Offerunt libri quiddam, boni, malivè, nihil magnoperè interest: approbatos errores autumat vulgus, si utcumque liber autoris, cui placere constat errores, approbatus exierit. Videas quin etiam libro erroribus scatenti præfixum catalogum illustrium nominum, quæ vel dederunt inducti, & circumventi Episcopi, vel surrepta sibi mirantur.

c Fraus 7. [c] Hoc tanto præsidio sic ambulant subnixi, ut Ecclesiæ ipsi terrorem haud obscurè denuncient. Romam ergò ipsam spe suâ devórant: Romam contendunt haud timido gradu, totiusque Arcem Fidei, & Religionis dominationi suæ destinant. Ibi verò si quem primi nominis virum sibi, non dico adjunxerint, sed minùs infensum nacti sint, quàm temerè exultant, ut jam nutante Româ, & inclinatâ in partes suas!

Si

Si quis etiam è Sacro Senatu commiserationis quiddam ostenderit, senseritvè, omissâ sectione, lenioribus utendum medicinis, quàm seriò triumphant, Romam ipsam esse suam.

a Successu elati, imò vanissimâ successus specie efferati, lacessere audent Caput Urbis ipsum & Ecclesiæ Supremum Pontificem Romanum. Ardua pariter, impiaque & horribilis cogitatio; Rectorem Ecclesiæ Christi Vicarium Hæresi subdere, servumq; asserere factioni Hæreticæ. Huc ergò quidquid blanditiis, & adulatione, quidquid hypocrisi, & mentitâ virtute, obedientiæ potissimùm, quidquid furore, vi, & violentiâ valent, convocare non dubitant. a Fraus 8. & 9.

Superi meliora! Si Ecclesiam defecerint humana præsidia, fulmina laxatis nubibus præstò erunt de cœlo, frustrabuntque ausus tam sacrilegos abolitis autoribus. Sed benè consuluit Ecclesiæ suæ Deus, qui & suo in terris Vicario robur providit adamantinum, & nullo non tempore egregios suscitat Ecclesiæ defensores adversus omnem perfidiam, & fraudem Hereticam.

b Sentiunt Hæretici, mœrentque non rarò, præsidia tanto ambitu quæsita haud ægrè sibi intercipi. Quid agant? desperatis in rebus præsto est rabies, & maledicentia: sed libellis præcipuè infamibus placet lacerare famam optimi cujusque viri, b Fraus 10.

 quem

quem ſuis conatibus adverſari dolent.

a Fraus 11 [a] Hic verò impudentiam vide Hæreſi dignam. Quam ipſi fecere injuriam atrociſſimis maledictis, eam ipſam ſibi factam expoſtulant; ſi quando haud excors vir, gloriæ ſibi deputans, tuliſſe maledicta ab Hæreticis, nihilò ſegnius, quàm cœperat, pertendit exagitare Hæreſim, vitium appellans vitium, & virtutem virtutem. Ibi verò mitiſſimi inter omnes homines Hæretici, quàm ſeriò queruntur, læſam ab Adverſario caritatem, atque omninò præteritum caritatis ordinem à Chriſto præſcriptum! Sic illi promptum æquè habent maledicere, & queri de maledicentiâ; ſi quando rationum pondere eò ſe redactos vident; undè nulla eſt evadendi via.

b Fraus 12. [b] Sed verò & lachrimas videre eſt miſerabiles, & meretricium audire ejulatum, ſi quiſpiam, quos verboſo libro inſperſere errores, verbis totidem excerptos, nitidèque expreſſos, contulerit in unam ſummam. Ibi ſuperos, homineſque conteſtantur de calumniâ: exclamant, Sacramento quovis contendunt doctrinam ſuam non eſſe ſuam.

c Fraus 13. [c] Tot ſeſe in formas vertendo non efficiunt nè ſerius, ociuſvè ſeverioribus ſiſtere ſeſe tribunalibus cogantur. Hoc illud eſt tempus, quò id omne, quod habet exquiſi-

tiſſimæ

tissimæ fraudis Hæreseon Architectus Diabolus, colligit, subditque præcordiis suorum. Hic ne damnentur, aut damnati videantur, videas tergiversantes, vitilitigantes, loquentes ambiguè, mentientes, pejerantes. Denique [a] *Loquentes linguâ Chanaan, & jurantes per Dominum exercituum*, nemo satis intelligat; nisi Chananæus. Nihil rectum, nihil syncerum. Nihil confitentur minùs, quàm quod confiteri censeas maximè. Quod dictum est modo, indictum fit mox. Sic illis pro ludo est Fides, Fideique confessio, ut sacra eludant Fidei Tribunalia, liceatque & Hæreticis esse, & Orthodoxis annumerari. a Isaiæ, 19

Hoc ut obtineant, [b] *Extenderunt linguam suam; quasi arcum mendacii, & non veritatis: confortati sunt in terrâ; quia de malo ad malum egressi sunt, & me non cognoverunt dicit Dominus .... Docuerunt enim linguam suam loqui mendacium: ut iniquè agerent, laboraverunt. Habitatio tua in medio doli, in dolo renuerunt scire me, dicit Dominus .... Idcircò hac dicit Dominus exercituum, Deus Israel. Ecce ego cibabo populum istum absinthio, & potum dabo eis aquam fellis. Et dispergam eos in gentibus, quas non noverunt ipsi, & Patres eorum: & mittam post eos gladium, donec consumantur.* b Ierem. c. 9

FINIS.

ERRATA.

Pag. 7. *lin. 9. à fine* ſcripſit *corrige* ſcripſerit, *p. 9. l. 28.* dicere *c.* dicerem, *p. 12. l. 1.* oportunũ. *c.* opportunum, *p. 19. l. 6.* quærentem *c.* querentem, *p 22. l. 17.* utantur *c.* utuntur, *p. 24. l. 6. à fine* ſubſtinueritis *c.* ſuſtinueritis, *p. 26. l. 7.* Eliphaez *c.* Eliphaz *p. 31. l. 8. deleatur* qui dicunt, *p. 33. l. 11.* Schytæ *c* Scythæ, *p. 34. l. 14. 15.* verbi *c.* verbo, *p. 35. l. 17.* ſic *c.* ſi, *p. 46. l. 14. 15. parentheſi include hac*; de gratia neceſsitatem imponente, *pag. 48. lin. 7.* dixeri *c.* dixerit, *pag. 48. lin. 13.* ſenſui *c.* cenſui, *pag. 53. lin. 4.* coaptari, *c.* cooptari, *p. 54. l. 8. à fine* ſcripturarum *c.* ſcriptarum, *p. 54. l. 3. à fine* Theogenis *c.* Theognis, *p. 58. l. 7.* querentibus *c.* quærentibus, *p. 59. l. 7.* Schytæ *c.* Scythæ, *p. 68. l. 6. à fine* poſtulabant *c.* poſtulabat, *p. 69. l. 1.* corrigetur *c.* corrigeretur, *p. 73. l. 1.* expoſtularetur *c.* poſtularetur, *p. 74. l. 8.* Hilarium *c.* Hilarum, *p. 74. lin. 10.* ornati *c.* onerati, *pag. 74. lin. 3. à fine* drago, *c.* draco, *p. 77 l. 8. & 9.* ſtolidiſmè *c.* ſtolidiſsimè, *p. 81. l. 10. à fine* quos appellabat Zoſimus, *verba ſunt Autoris, p. 83. l. 1.* dilucefleret *c.* dilucesceret, *p. 93. l. 11.* Baroëam *c.* Beroëam, *p. 93. l. 17.* ipſis *c.* ipſi, *p. 98. l. 6.* me *c.* ne, *p. 105. l. 18.* luculentus *c.* lutulentus, *p. 105. l. ult.* minatus *c.* minatus eſt, *p. 109. l. 3. à fine* Enodio *c.* Euodio, *p. 115. l. 9. à fine* commoverat *c.* commoveat, *p. 116. l. 9. & 10.* miſeratur *c.* miſereatur, *p. 118. l. 9.* hæreſim *c.* hæreſis, *p. 126. l. 6.* illi *c.* hæc illi, *p. 127. l. 16.* Cæſarienſi *c.* Cæſareenſi, *p. 127. l. ult.* Enzoium *c.* Euzoium, *p. 139. l. ult.* mareſcat *c.* marceſcat.

